



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1705**

Titulus IX. De Renuntiatione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)

quitur usque ad sepulchrum, in quod defuncti Archiepiscopi Pallio suo induti inferuntur, *c. Ad hoc 2.* ubi Laiman *n. 2.* *Scit. Pirrhing n. 20.* Unde

Dubium oritur de Archiepiscopo, à sua translato ad aliam Ecclesiam Metropolitanam. Cui in ista Pallii usus licitus videri potest; quòd adhareat personæ. Sed, licet propter hanc rationem eum sequatur, illò tamen uti nequit in Ecclesia posteriori, *c. Bona 4. in fine de*

*Postul. pralat.* quòd ei datum sit respectu Ecclesiarum certæ provincie. Unde, sicut ejus successori, sic etiam ipsi petendum est novum Pallium, quò utatur in posteriori, Pirrhing *cit. n. 20. in fine.* utroque tamen indutus, aut eò, quòd prius accepit, corpori seu capiti supposito est sepeliendus; ut *in c. Ad hoc cit.* notat Innocentius *n. 2.* Panormit. *n. 7.* & Laiman *n. 3.*



## TITVLVS IX.

### De Renuntiatione.

**R**elatura, licet naturâ suâ perpetuæ sint, non infrequentè tamen ante personarum cas obtinentium obitum, & Renuntiatione potissimum sive Resignatione amittuntur. Unde præcipuis ad eas perveniendi viis hæc, tanquam præcipuus eas & cætera beneficia Ecclesiastica amittendi modus subjicitur.

#### ARTICVLVS I.

#### De natura & varietate Renuntiationis.

#### SUMMARIUM.

1. Definitio Renuntiationis :
2. Qua esse debet spontanea & libera.
3. Metu extorta rescindenda :
4. Ipso tamen jure irrita non est :
5. Sicut & qua dolò est obtenta.
6. Metu vel dolò renuntians beneficio,

*ejus ratione ad Horas non netur.*

7. Renuntiatio alia Expressa, alia tacita

8. Expressa vel Simplex est vel Conditionalis :

9. Qua vel ex causa permutationis,

10. Vel in favorem,

11. Vel cum fructuum, ingressus & reservatione fit.

**R**enuntiatio in genere est spontanea & libera cessio sive dimissio & abdicatio juris sui.

Flamin. Parif. *de Resignat. lib. 5. q. 1. n. 9.* Unde hac Rubrica proponitur

Renuntiatio sive Resignatio beneficii Ecclesiastici rectè dicitur esse, spontanea &

libera dimissio sive abdicatio proprii beneficii, ex justa causa facta coram legitimo superiore eam acceptante, ut cum

*cit. Doctore n. 34.* eam definit Laiman ad hanc Rubric. *Proprii, inquam, & spontanea ac libera.*

Prius, quia beneficium alienum, vel quod nunquam habuit, aut non amplius habet, renuntiandò dimittere nemo potest, c. *Dilectio 25. in fine de Prab. & dignit. Pirrhing ad hanc Rubr. n. 1.*

Posterior, partim; quòd renuntiatio à pactioe & omni labe Simoniae debeat esse immunis, c. *Cum pridem 4. & c. fin. de Pactis.* Alioquin ipsa, eamque secuta collatio ipsò Jure irrita foret, *Extravag. 2. V. Per electiones inter com. de Simonia, Rebuff in Praxi Tit. de Simonia cap. 10. n. 1. & Garcias de Benefic. p. 11. cap. 1. n. 14.* partim verò; quòd eadem nulla vi metùve aut dolò debeat esse extorta, c. *Super hoc 5. c. Leita 14. hic c. Ad aures 3. & c. Ad audientiam 4. De his, quæ vi metùve &c. Quod omnino certum.*

3. Dubium autem & magni in praxi usis controversia inter DD. est de Renuntiationis ita factæ valore; metu enim injustè inculpò extortam ipsò Jure invalidam nullamque esse, cum Hostiensis in c. *Ad aures cit.* contendunt Pontius Lib. 4. de Matrim. cap. 8. n. 16. & Gonzalez in c. *Ad audientiam cit. n. 2.* Moventur primò; quòd, Ecclesie suæ gravi metu renuntians, ad eam restituatur sine nova collatione, c. *Ad aures cit. ibi, Non impedit, quòd minus is, qui renuntiavit Ecclesie, præficiatur eidem: ex quibus verbis arguunt, beneficii titulum propter renuntiationis nullitatem non amissum.* Secundo, *Clement. Multorum 2. V. Sanò de Panis,* quò locò, metu extortas beneficiorum renuntiationes nullius momenti esse, Papa decernit: & c. *Ad audientiam cit.* quò eadem robore firmitatis carere asseruntur. Tertio paritate cum electione: quam si metu extorta sit, ipsò Jure irritam esse, liquere ajunt ex c. *Ubi periculum 3. §, Caterum de Elect. in 6.*

Sed melius, sicut plerosque alios metu extortos actus, juxta dicenda *Tit. 40. art. 3.* sic etiam hujusmodi renuntiationes, licet obnoxie sint rescissioni, ipsò Jure subsistere, cum Panormit. in c. *Ad aures cit. n. 2.* defendunt cit. *Garcias cap. 3. n. 143. Flamin, Lib. 13. q. 2. n. 8. Vallensis de Benefic. lib. 3. tit. 13. n. 16. Laiman in c. Ad aures cit. n. 2. & Barbosa in c. Super hoc cit. n. 3.* Rationem reddunt; quòd metu facta renuntiatio eò ipsò, quòd voluntaria & libera, valida quoque sit Jure Naturali & Divino: & nullò etiam textu Humani Juris irritata videatur; cum c. *Ad aures cit.* solum asseratur, renuntiationem non impedire, quò minus Ecclesie, cui metu inductus renuntiavit, præficiatur; quin addatur *sine nova collatione.* Et, si hoc adderetur, beneficium tamen non amissum, non rectè inferretur; cum ipsa restitutio conferat titulum, sitque tacita collatio beneficii, per renuntiationem metu extortam priùs dimissi & amissi, Flamin, q. cit. n. 27.

Neque pro nullitate facit c. *Ad audientiam cit.* quia firmitatis robur etiam non habet renuntiatio valida, si per sententiam rescindatur. Neque etiam *Clement. cit.* quia eà agitur de speciali casu, quò renuntiatio injustè detentione & incarcerationatione extorta fuit, arg. l. *Qui in carcerem 22. ff. Quòd metus causà* quò modò extortos actus Jure specialiter irritatos statuetur infra *Tit. 40. art. 4.*

Non magis urget paritas cum electione; cum etiam hanc metu celebratam valore non destitui, ex aliorum DD. sensu velit Laiman *Q. Canon. de Elect. q. 123.* non obstante §. *Caterum* in contrarium allegatò; quia istius textu agitur de electione Papæ: quam, quia de universalis Ecclesie capite & Fidelium

A 2 a 3 omnium

- omnium Pastore ac Rectore celebratur, ab omni vi metûve liberam esse volûere Concilia, Lugdunense *c. Ubi periculum cit.* relatum & Constantiense *Sess. 29.*
5. Sicut metu, sic etiam fraude dolôque extorta renuntiatio rescindenda est; cum, quod dolus & metus Jure æquiparentur, *c. Cum contingat 28. de Jurajurando*; ideòque, sicut metu, sic etiam dolô extorta renuntiatio obnoxia sit rescissioni: partim verò; quia sacri Canones valde abhorrent à vitioso ingresso in beneficium, *c. 1. De ed, qui mitt. in poss. in 6.* maxime autem vitiosus ingressus est, ad quem dolosa ad reuantiacionem inductio viam complanavit: quæ propterea auctori suo prodesse non debet, *c. Audivimus 3. de Colluf. dereg. & l. 1. ff. de Doli Except. cit. Flamin. q. 3. n. 1. & 14. & Vallenf. Tit. 14. n. 1.* Unde
6. Infertur, clericum in minoribus constitutum post resignationem beneficii, factâ vi dolôve, ad horas Canonicas ratione ipsius quotidie recitandas non amplius obligari: neque ipsius fructus percipere: neque ordinari posse ad ejus titulum; cum iste per renuntiationem, de Jure subsistentem, sit dimissus, *Flamin. cit. q. 2. à n. 32.*
7. Renuntiatio alia Tacita est, & alia Expressa. Tacita vocatur, quæ fit factô aliquò beneficii retentioni contrariò: & propterea ejus abdicacionem, saltem ex interpretatione vel dispositione Juris, significante, *Tholosan. de Benefic. cap. 28. n. 4. & Flamin. q. cit. n. 10.* sicut fit per matrimonium, à clerico in minoribus constituto validè contractum, *c. 1. c. Quod à te &c. de Cleric. conjug.* per professionem Religionis à sede Apostolica approbatâ, *c. Beneficium 4. de Regular. in 6.* aut vitæ militaris, *Gloss. in c. fin. V. redierint de Cleric. non resid.* per

pacificam & fructiferam affectionem alterius beneficii incompatibilis. *De multa 28. & Extravag. Execrabilia Joan. XIII. de Prab. & dignit.* per commissionem allicujus criminis, cui à Jure annexa est privatio beneficii &c. Expressa verò, quâ beneficii dimittendi voluntas verbis, scriptô &c. legitime declaratur, *Flamin. cit. q. 1. n. 34. & Vallenf. ad banc Rubr. n. 2.*

Expressa renuntiatio vel est Pura, qua beneficium absolute ac simpliciter, hoc est, sine ulla conditione, pacto vel modo adjecto in manibus superioris dimittitur & abdicatur; ut hic id tanquam vacans, cui voluerit, valeat conferri: vel Conditionalis, quæ fit sub certa conditione, modo &c. cujusmodi impermissus est, quæ fit coram Ordinario et causa Permutationis inter ipsos resignantes, v.g. si Titius parochiam aut aliud beneficium resignet, ut Caius: & vicissim Caius suum, ut Titio conferatur. *Deinde*, quæ coram Papa fit in favorem tertii, v.g. quâ Titius beneficium resignat apposta conditione, ut Caius conatguineo, familiari &c. suo conferatur: cujusmodi renuntiationes etiam sunt reciproca permutationes, v.g. quâ Titius beneficium suum, ut consanguineo Caii & vicissim iste suum resignat, ut consanguineo vel alteri à Titio designato conferatur; quantumvis enim primò ob cursu ex causa permutationis facta videatur, revera tamen, & quidem duplex renuntiatio est in favorem tertii: ac proinde coram eodem, coram quo alia renuntiationes in favorem faciendâ. *Lessius Lib. 2. de I. & I. cap. 33. n. 47.* Simili modo, licet in permutationibus valeant resolvi, revera tamen in favorem tertii sunt renuntiationes, quæ vocantur Triangulares & Quadrangulares, v.g. qua Titius suum beneficium resignat

ea conditione, ut Caio: iste suum, ut Sempronio: & iste suum, ut Titio conferatur, Lessius *cap. cit. n. 88.* & Azor *p. 3. Instit. Lib. 5. cap. 12. q. 6.* De-  
 mum, quæ coram eodem Papa fit cum reservatione fructuum, pensionis &c. vel cum Ingressu, hoc est, reservatõ sibi jure ad beneficium, v.g. cum id sibi jam collatum, sed nondum possessum, quis alteri cedit eâ conditione, ut istõ mortuõ, Religionem professõ, ad Episcopatum evectõ &c. id recuperet ejusque possessionem ingredi valeat: vel cum Regressu sive reservatione juris ad beneficium, ante resignationem jam possessum, resignatario sive eõ, in cujus favorem resignatum est, mortuõ, religionem professõ, ad Episcopatum evectõ &c. redeundi &c. Rebuffus *Prax. Benefic. Tit. de Regressibus, Azor p. 2. lib. 7. cap. 19. q. 3.* & Pirrhing *ad banc Rubric. n. 11.*

## ARTICULUS II.

## De Beneficiis obnoxii Renuntiationi.

## SUMMARIUM.

12. Resignantur generaliter quævis beneficia non excepta,
13. Iis, quorum interest, consentientibus.
14. Excipiuntur, ad cujus titulum quis est ordinatus:
15. Nisi ejus qualitas exprimat:
16. Parochiale, non pridem obtentum:
17. Unitum, nisi expressa mentione facta unionis:
18. Expectatum,
19. Litigiosum,
20. Canonice non obtentum, & ipso jure amissum:

21. Cujus resignatio resignatario non prodest:
22. Nisi illi inserta sit clausula, Seu quovis aliõ modõ vacet,
23. Vel iste Regulã de Trienniali defendatur.
24. Valida est resignatio beneficii, ob crimen amittendi per sententiam,
25. Etiam in hujus eventum ab alio impetrati:
26. Licet in illa criminis mentio non fiat.
27. Subsistit etiam resignatio beneficii primùm vacaturi,
28. Et in comendam perpetuam obtenti.

**R**egula generalis est, resignari de Jure posse Prælaturas, dignitates & cætera beneficia Ecclesiastica quæcunque, tam curata quàm simplicia, etiam patrimonialia, exempta & sedis Apostolicæ reservata, sive per collationem liberam, sive ad alicujus nominationem, præsentationemve, sive per electionis aut postulationis viam fuerint obtenta; quia regulariter quivis renuntiare potest juri, tam in spiritualibus quàm in temporalibus sibi competenti, *c. Si de terra 6. de Privileg. & Azor p. 2. Instit. lib. 7. cap. 25. q. 1.* & Flamin. *de Resignat. lib. 2. q. 1. n. 1.* licet ad beneficiorum Electivorum & Patronatorum renuntiationem, quando ista non purè, sed in favorem tertii vel ex causa permutationis fit, electorum, patronorum & similibus, quorum interest, consensum exigat, cum Viviano *de Jure Patron. Lib. 13. cap. 10. n. 24.* & 28. rectè moneat Barbola *Jur. Eccles. lib. 3. cap. 15. n. 142. & 145.*

A Regula tamen ista excipiuntur, & renuntiationi obnoxia non sunt beneficia Primò, ad cujus titulũ quis promotus est ad Ordines sacros, saltem si resignans ali-

gnans aliunde non habeat, unde commode sustentetur, ut constat ex decreto S. Synodi Tridentinæ, illius resignationem tali qualitate non expressâ irritantis, *Sess. 21. cap. 2. de Reformat.* ne clericus resignans cum sacri Ordinis dedecore mendicare, vel fordidum aliquem quæstum exercere cogatur. Ubi tamen

Dubium movetur, de resignatione ejusmodi beneficii sine dictæ qualitatis mentione, si resignans necessariam sustentationem habeat aliunde, vg. si ei aliud beneficium cum pensione resignatur: quam saltem in foro Conscientiæ interno validam, cum Navarro *Consil. 23. de Præbend. in fine* existimat Flamin. *l. cit. q. 6. n. 4.* eâ ductus ratione; quod ita S. Synodi Patrum intentioni satisfiat. Sed melius irritam pronuntiat Garcias *de Benef. p. 2. cap. 5. n. 2. & 14.* quod ad formam resignationis ejusmodi beneficii *Sess. cit. cap. 2.* exigantur duo, scilicet ut in ea mentio fiat dictæ qualitatis: & ut clerico de congrua sustentatione aliunde sit provisum: aliter autem facta irritetur. Unde eâ qualitate suppressâ non satisfat Conciliari dispositioni, etsi fortassis obtineretur istâ intentus finis: quem tamen etiam non obtineri rectè ostendit Palao *Tract. 23. disp. 5. p. 2. §. 2. n. 6.* quia S. Synodus non solum voluit, ut clerico constituto in sacris provisum sit de congrua sustentatione: sed etiam, ut istam habeat firmiter, eaque se privare ipse non possit.

26. Secundo, beneficium sive Ecclesia parochialis: cujus resignatio secundum praxin & Stylum Curia Romanæ ordinariè non admittitur: nisi à parochio trium quatuor aut quinque annorum spatium possessum fuerit & administratum; atque ideo recipi non solet ejus resignatio, nisi exprimat, à quo vel quanto tempore fuerit obtentum, teste Garcia

*p. 11. de Benefic. cap. 3. n. 44.* Quam illius Curia praxin dicecesium Ordinarios imitari publicè expediret, teste Lainman in *c. Admonet. 4. n. 3.*

Tertio, Unitum alicui dignitati, Collegio clericorum, monasterio vel Seminario studiosorum, saltem in favorem vel ex causa permutationis, ex decreto memoratæ S. Synodi *Sess. 21. cap. 3. & Sess. 23. cap. 18. de Reformat.* Ratio est; quia per unionem Collegio, monasterio &c. acquisitum est jus in beneficio sibi unito; ac proinde per resignationem ita factam ipsi præjudicarentur: imò, si in favorem aut ex causa permutationis validè resignari ejusmodi beneficium posset, unio ejusvise executio facile impediretur, beneficium ab uno possessore in alium aliūque per renuntiationis viam transferendò. Quod utique prohiberi conveniens fuit, sicut restrictioni obnoxia res prohibita est alienari. *l. fin. §. 2. C. Communia de Legat.*

Quantumvis autem Papa, propter plenissimam de dignitatibus & beneficiis Ecclesiasticis aliis disponendi potestatem, admittere valeat in favorem aut ex permutationis causa factas resignationes beneficiorum etiam unitorum: & cum eas admittit, unionem pro ea vice suspendere ejusque executionem prorogare videatur: valida tamen etiam ab ipsa tam simpliciter quam conditionatè facta resignationis admissio non est, nisi in literis mentio facta sit unionis, ut ex communi aliorum sensu advertunt Flamin. *cit. lib. 2. q. 9. n. 14.* Rotæ decisis allegans & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 14.* Ratio est partim; quod propter unionem de Jure & Stylo Curia in literis exprimens, reticentiam renuntiationis admissæ gratia subreptitia sit: partim vero quòd verisimile non sit, Papam voluisse vel impedire voluisse effectum sive executionem

tionem unionis, ex iusta causa facta; cum literis suis præjudicare aliis velle, si non exprimat, non præsumatur, *c. Super eo 15. junctâ Glossa V. Intentionia de Offic. deleg. & l. Prator ait 2. §. 16. ff. Ne quid in loco publ. Menoch. de Arbitr. jud. casu 201. n. 71.*

18. Quartò, resignari saltem in favorem nequit beneficium, super quo alteri concessa est gratia Expectativa aut Regressus reservatus: nisi accedat consensus ejus, cui iste vel ingressus reservatus, aut illa est indulta, *Flamin. Lib. 2. de Resignat. q. 10. & 18. n. 1.*

19. Quintò, beneficium litigiosum lite pendente, in favorem tertii vel ex causa permutationis, *Flamin. Lib. cit. q. 3. à n. 1.* quòd ejus resignatio in fraudem collitigantis fieri præsumatur, *c. fn. Ut lite pendet. in 6.* ex qua ratione litigiosæ rei alienatio, dum lis pendet, fieri nequit & facta non tenet, *Rubr. & sext. ff. & C. de Litigiosis.*

Excipiendi tamen sunt casus, imprimis quò ejusmodi renuntiatio fit simpliciter aut in favorem collitigantis; cum enim ita facta beneficii dimissione extinguatur lis & litigiosi vitium purgetur, non est, cur non permittatur aut infirmetur. Deinde, quò eadem in manibus Papæ, & litis super beneficio mentione est facta; sic enim factam ejus renuntiationem de Jure subsistere, ex communi DD, sensu tradit *Pirrhing ad hanc Rubr. n. 14.*

20. Sextò, beneficium per intrusionem aut aliâ sine canonico titulo obtentum: uti &, quò legitime obtentò quis propter alterius incompatibilis plenam asecutionem, vel propter matrimonium valide contractum, vel professionem Religiosam &c, ipsò jure est privatus; quia renuntiatio est dimissio proprii beneficii juxta dicta *n. 2. in titulum autem & ejus-*

modi privatorum beneficia propria vel nunquam fuerunt, vel esse deserunt per privationem ex Juris dispositione indultam; ac proinde dimitti non possunt, nisi quoad possessionem vel detentionem, *Azor p. 2. Instit. lib. 7. cap. 20. q. 8. cit. Flamin. Lib. 3. q. 1. n. 1. & 10. & Pirrhing n. 30.*

Septimò, beneficium, quò quis per sententiam, quæ in rem judicatam transit, aut ipsò Jure ob crimen est privatus; quia proprium esse desit, *citt. Garcias cap. 3. n. 127. & Vallens. Lib. 3. de Benefic. cit. 24. n. 11. Ubi*

Dubium est, an ergo, post privationem ob crimen (vel aliò modò, v.g. Religionis professione, vel beneficii incompatibilis asecutione) ipso Jure indultam, in favorem vel ex causa permutationis facta beneficii resignatio omni valore destituatur. Qua in re non omnino consentiunt DD, nam Sanchez *Lib. 2. Moral. cap. 26. n. 9. & Palao Tract. 4. disp. 4. p. 5. n. 6.* ex ejusmodi beneficii resignatione, quousque sententia criminis declaratoria proferatur, clerico, in quem resignatio facta est, jus in beneficio acquiri volunt: licet sententia illius declaratoria, si sequatur, ad criminis commissi diem retrotrahatur, & resignatio ad plenum effectum non perveniat, sed cã rescissâ beneficium resignatario auferatur. Rationem reddunt; quòd clericus criminis, beneficii privationem inducentis, perpetratione non perfectè amittat jus in beneficio, illiusque possessionem retineat, donec ei per sententiam auferatur; atque idcirco hæc & jus illud per resignationem, etiam conditionalem, in alium valeat transferri.

Sed recedendum non est à communi sententia DD, beneficii, ob crimen ipsò Jure amissi, resignationem valore destitui

B b b

destitui afferentium, eaque ullum jus in resignatarium transferri negantium cum Felino in c. In nostra 32. de Rescript. n. 38. Boerio decis. 205. n. 3. Tholos. de Benefic. cap. 33. n. 4. Flamin. Lib. 3. de Resignat. q. 1. à n. 20. Gonzalez in Reg. 3. Cancell. Gloss. 15. n. 146. Gutierrez Lib. 2. Q. Canon. cap. 4. n. 44. Garcia p. 11. de Benef. cap. 3. n. 124. & aliis. Ratione unicâ, sed solidâ moventur; quia ipsa ejusmodi criminis perpetratio amittitur titulus & proprietas, canonicâ institutione in beneficio acquisita; ut, qui illud obtinuit, ab ipso commissi criminis momento de ipso beneficio, tanquam non amplius proprio suoque, statuere nihil possit, idque alteri valeat conferri; ac proinde jus, quod in illo habuit, post commissum ejusmodi crimen per viam resignationis in alium transferri ab ipso privato nequeat, hoc ipsò; quòd resignatio generatim sui juris: & in specie resignatio beneficiâlis proprii beneficii cessio sive abdicatio sit, ut dictum n. 1. Ex qua ratione hujusmodi beneficium non in favorem duntaxat & ex causa permutationis, sed propriè loquendo etiam simpliciter resignari amplius non potest; cum enim ipsa criminis perpetratio illius titulus & proprietas Jure amissa jam sit, propriè & verè non ipsius beneficii quoad titulum & proprietatem, sed possessionis tantum abdicatio & derelictioni amplius est locus, cit. Garcias n. 124.

Neque resignatario patrocinator alata ratio; cum enim beneficii possessio sine titulo licitè non obtineatur, per Reg. 1. in 6. ab eo, qui beneficii titulo obperpetratum crimen à Jure privatus est, per viam resignationis licitè in alium ipsa etiam possessio non transferetur.

Rectè tamen hic Navarrus Consil. 22. de Rescript. n. 7. & 10. & Garcias

cap. cit. n. 28. observant, resignationem beneficii, ex quacunque causa ipsò Jure aut etiam per sententiam, quæ in rem judicatam tranfit, amitti, ante illius executionem vel privationem ipsius possessionis in favorem factam, subsistere & resignatario proficere posse ex clausulis generalibus, apponi solitis admiffioni resignationis, sive beneficium premiffò sive quovis aliò modo vacet: dummodo alteri in hujusmodi beneficio non sit jus quæsitum. Ratio est; quia, licet beneficii jam amiffi resignatio facta ab ejus possessore vel detentore Jure non subsistat, verum tamen est beneficium Premiffò seu quovis aliò modo vacare; cum, licet non verificetur in vacatione expressa in resignatione, verificetur tamen in privatione Jure vel per sententiam inducta, Mandosius in Reg. Cancell. q. 7. n. 4. Palao Tract. 13. disp. 6. p. 3. §. 2. n. 13. & Corradus Prax. Benefic. lib. 6. cap. 3. n. 36. Dixi, in favorem, quia aliter se habet resignatio facta causa permutationis propter clausulas, Quod neuter permutantium jus accipiat, nisi quilibet ipsorum jus habeat in beneficio resignato, appositam juxta Regulam Cancell. 39. ut advertunt cit. Garcias n. 129. & Vallens. n. 11.

Quin, si beneficium, ipso Jure vel per sententiam amiffum, ante illius executionem vel ipsius possessionis privationem per resignationem, in favorem ex causa permutationis invalidè factam, in resignatarium transferatur, iste, si beneficium bona fide & pacificè triennio possideat, vigore Regul. 33. Cancell. præscribit; ut, resignationis nullitas postea detectâ, beneficium illud conscientia valeat retinere: dummodo id generali & Jure clausa reservatione Apostolicæ dispositioni non sit referentur ut Lib. 2. tit. 26. à n. 112. tradam.





24. Idem, quod de beneficiis ob criminis ipso Jure amissis, statuendum videri primò ocurso potest de beneficio criminosis, eò per sententiam privandi, saltem postquam de crimine est accusatus, partim; quòd cenferi possit litigiosum: partim verò; quòd ejus resignatione, saltem factâ in favorem tertii, præjudicetur collatori Ordinario, qui ab illius collatione libera impeditur. Sed etiam hujusmodi beneficium non solum post accusationem, sed quocumque ante privationis sententiam non simpliciter duntaxat, sed in favorem quoque & ex causa permutationis, resignari posse, cum Glossa in c. *fn. Ut lite pend. V. Finita in 6.* defendunt *cit. Garcias cap. 3. à n. 63.* & Vallens. *sic. 24. à n. 1.* Ratio est; quia regulariter beneficii resignatio simplex & conditionalis omnibus est permittâ; ejusmodi autem criminosis ullò Jure prohibita non reperitur.

Neque verum est, ejusmodi beneficium esse litigiosum; cum, quia contrarium à Rota decisum, testis est Barbosa de *Offic. Episc. alleg. 69. n. 19.* tum verò; quia lis mota non est super ejus titulo vel possessione: quibus beneficiatus solum cedit ex timore privationis.

Neque refert; quòd ejus resignatione impediatur Ordinarii collatio; quia ad hanc Ordinarius jus quæsitum non habet ante sententiam privationis: quam per resignationem avertendò, cum jure suo utatur, Ordinario ullam injuriam aut præjudicium propriè dictum beneficiatus non facit, *arg. l. Nullus § 5. ff. de R. I.*

25. Dubium est, an hujusmodi criminosis resignare valeat beneficium, si hoc in privationis eventum ab alio jam sit impetratum. Non posse saltem, si id ab alio impetratum sciat, cum Felino in e. *In nostra 32. cit. n. 38.* & Boerio *cit.*

*decis. 205. n. 8. vult cit. Gutierrez cap. 5. n. 41.* eà ductus ratione; quòd ea resignatio in fraudem impetrantis fieri videatur præsertim, si beneficii resignatio non in favorem, sed simpliciter fiat; cum talis non alteri gratificandi, sed præcisè impetrationis effectum impediendi animò fieri convincatur; & propterea impetranti non præjudicet, neque obstat, quò minus latâ super crimine sententiâ beneficium consequatur, *arg. c. Si te 2. in 6.* ex cujus decisione casu, quò Titius, intelligens à Caio ex factâ sibi gratiâ Apostolica expectari dignitatem vel præbendam pinguem in Ecclesia proximè vacaturam, ad eum ab hujusmodi dignitate vel præbenda, quæ proximè vacatura verisimiliter creditur, excludendum tenue beneficium, quod in eadem Ecclesia obtinet, per viam resignationis dimittit, resignatio ista Caio non obstat, quò minus, omisso beneficio tenui ex hujusmodi Titii resignatione vacante, dignitatem vel præbendam pinguem, quæ per obitum aliòve modo proximè vacatura verisimiliter credebatur, porro expectare &, quasi primò vacantem, consequi possit; ne alterius, scilicet Titii, odio prægrevetur, contra *Reg. Non debet 22. in 6.* neque etiam resignatio illa proficit Titio, si illam dignitatem vel præbendam pinguem, postquam beneficium tenuè per resignationem dimisit, vacantem postea ipse consequatur; quòd de hac ipsi factâ prævisio *c. cit.* sit irritata; ne fraus sua & dolus ipsi patrocinareretur, contra Regulam *c. Sedes 15. c. 6. Ex tenore 16. de Rescriptis.*

Sed melius, resignationis à criminosis ante privationis sententiam, tam simpliciter quàm in favorem faciendâ, valori beneficii in privationis eventum impetrationem istiusque notitiam non obstat, cum Covarruvia in *Clement. Si furiosus*

p. 2. §. 3. n. 7. Garcia *cit. cap. 3. n. 84.*  
 & ab hoc relatis aliis sustinent Palao *cit.*  
 §. 2. n. 11. Pirthing *ad hanc Rubr. n. 27.*  
 Et novissimè Leyrenius *Fori Benef. p. 3.*  
 g. 310. n. 9. Ratio est; quòd, cum be-  
 neficii resignatio clerico criminoso ullo  
 Jure prohibita non reperitur, illud an-  
 te sententiam per viam resignationis di-  
 mittendò utatur suo jure, istiusque usu  
 impetranti non faciat injuriam, c. *Cum*  
*Ecclesia 31. de Elect. & l. Injuriarum 13.*  
 §. 1. ff. *de Injuriis*; quia impetranti jus ad  
 beneficium quæsitum non est absolute,  
 sed solummodo sub conditione, si ejus  
 possessor beneficio per sententiam prive-  
 tur: cujus conditionis eventus, ante  
 sententiam factâ resignatione, nullâ cu-  
 jusquam injuriâ nullâque fraude vel im-  
 petrantis odio impediri potest; cum, si  
 id in favorem, amico suo gratificandi,  
 vel simpliciter privationis poenam evi-  
 tandi studio faciat, fraude vel alterius  
 odiò aliquid fecisse non convincatur.

Quod si resignationem animò per-  
 versò odiòque impetrantis, eique no-  
 cendi animò factam constaret, vel ra-  
 tionabiliter præsumeretur ex circum-  
 stantiis, privationis sententiam & à con-  
 secutione beneficii impetrantem non im-  
 pediret, arg. c. *Si te cit.* cujus dispo-  
 sitio nititur præsumptione fraudis: quæ  
 cum in resignatione à criminoso in favo-  
 rem aut simpliciter, solò animò gratifi-  
 candi amico aut privationis poenam evi-  
 tandi, facta cesset, argumento ex c.  
*Si te cit.* desumpto locus non est: sicut  
 c. *cit.* dispositioni locus non esset casu,  
 quò Titius tenuit beneficium ex justa cau-  
 sa bonòque & nemini nocendi animò per  
 viam resignationis dimisisset: ejusque  
 collatione Caio facta dignitatem vel præ-  
 bendam pinguem, ex causa ante non  
 prævisa vacantem, ex notabili temporis  
 intervallò impetrasset, ut colligitur ar-

gumentò à contrario ductò ex c. *cit. ver-*  
*bis, Dummodo de fraude appareat, fal-*  
*sem per aliquas probabiles conjecturas.*

Neque, ut à criminoso in favorem  
 facta resignatio subsistat, necessaria est  
 mentio criminis, istiusve accusationis, aut  
 ex illius probatione imminens senten-  
 tiæ privationis; quia, talem mentionem  
 faciendam, ullo Jure cautum non repe-  
 tur, neque ex Stylo Curie constat, ut  
 rectè notant *cit.* Garcias n. 120. & Pa-  
 lao n. 9. Neque hujusmodi mentionis  
 necessitas evincitur ex eo; quòd, si de  
 crimine ejusque accusatione in impetra-  
 tionis literis fieret mentio, Papa resi-  
 gnationem admittens non fuisset; quia  
 non omnium, quorum expressio gratiam  
 impediret, vel concessionem difficultate-  
 rem redderet, reticentia gratiam vitare  
 & subreptitiam reddit; sed eorum tan-  
 tum, quæ si subsint, exprimi Jus vel  
 Curie Stylus ita requirit, ut eò, si subsi-  
 nit, non expressò gratiam subsistere Pa-  
 pa nolit, ut cum Felino in c. *Super inter-*  
*dictis 20. de Rescript. n. 2.* Navarro *Man-*  
*ual. cap. 22. n. 86.* Selva *de Benef. p.*  
*3. q. 11. n. 48.* Farinac. *Prax. Criminal.*  
*q. 6. n. 48.* & aliis advertit *cit.* Garcia  
 p. 8. cap. 30. n. 20. & supra Tit. 3. n. 47.  
 est dictum.

Sicut criminofus ei, quò per sen-  
 tentiam ob crimen privandus est, sen-  
 tentiam renuntiare quis potest beneficio pro-  
 ximè vacaturo, vg. Ecclesia parochialis  
 ad quam legitimè promotus Presbyteratus  
 Ordinem intra annum suscipere no-  
 gligit; talis enim, quantumvis ante  
 lapsò Ecclesia vacatura sit ex dispositione  
 Juris, c. *Licet Canon. 14. de Elect. n. 6.*  
 eam tamen in fine & ultimò anni die va-  
 lide resignat; quia, donec annus ex-  
 stus sit, retinet jus in re, quod ipse  
 vito ante anni finem nequit auferri, c.  
*Commisa 35. eadem Rubr. in 6. & infra*  
 per viam

per viam resignationis in alium transferre non prohibetur, ut cum Joan. Andr. in c. cit. Oldrado in facti contingentia sic respondente *Confil. 203. n. 1.* Flaminio *Lib. 3. q. 2. n. 8.* &c. docet Barbosa in c. *Commissa cit. n. 3.*

Octavo, beneficium datum in commendam. Non quidem in perpetuam, sive ad commendatarii vitam & in ejus favorem; ita enim obtentam permutari & in tertii favorem resignari posse, communis sensus est DD. quos secuti sunt Hoieda de *Incompatib. benef. p. 1. cap. 14. n. 15.* & Flaminio *cit. lib. 2. q. 17. n. 9.* quod in beneficio ita commendato jus & titulum commendatarius obtineat. Sed in temporalem duntaxat, quae dari solet ob necessitatem vel utilitatem Ecclesiae, donec illi de rectore provideatur, juxta c. *Nemo 15. de Elect. in 6.* hujus enim, cum non titulum, sed administrationem solum habeat commendatarius, id quidem simpliciter, administrationem in manibus Ordinarii deponendū: non tamen in favorem tertii, vel ex causa permutationis resignare potest, ut aliis DD. relatis tradunt *cit. Hoieda n. 6.* & Flamin. *n. 2.*

## ARTICULUS III.

## De personis ea Resignantibus.

## SUMMARIUM.

29. Renuntiatio regulariter permessa est omnibus:
30. Non carentibus usu rationis,
31. Et constitutis in sacris: nisi habeant, unde commodè vivant:
32. Neque etiam jus ad rem tantum habentibus.
33. Renuntiare etiam valet Papa,

34. Minor sine tutore,
35. Et novitius, jure antiquo Novitiatius tempore toto:
36. Novissimò autem jure ultimò ejus bimestri.
37. Corruit renuntiatio infirmi,
38. Imò etiam sani, 20. dies ab illa non supervientis:
39. A quocunque, Papà inferiore,
40. Quocunque modò,
41. Et in cujuscunque manibus,
42. In aut extra Curiam Romanam facta sit.
43. Dies consensus non computatur in 20. dierum termino:
44. Cujus ultima dies inchoata pro completa non habetur:
45. Nisi lapsum sit ultimum ejus momentum.
46. Reservata tamen non sunt beneficia extra:
47. Secundum aliquos etiam in Curia resignata.
48. Verius ista tanquam Affecta,
49. Et in Curia vacante, Papa dispositioni reservata sunt
50. Quocunque mense resignans decedat,
51. Obitum intra 20. dies accidisse, qui allegat,
52. Et fere plene probare tenetur:
53. Nisi obitum studiosè occultatum confet.

**R**egulariter, sicut dignitatum 29. & beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcunque, sic eorum resignatio quibuscunque, jure specialiter non prohibitis, permessa est, ut cum Joan. Andr. ad hanc Rubr. n. 4. tradit Flaminio de *Resignat. lib. 3. q. 1.*

Jure autem prohibiti sunt Primò 30. furiosi, mente capti, Glossa in can. *Quamvis 14. v.*

b b 3

*in 14. V. Eodem & V. Triste 7. q. 1.* hi enim, perinde ut infantes, carent iudicio & consensu: propter cuius defectum alienare, vendere, donare aliosque actus legitimos exercere nequeunt: & ab ipsis facta renuntiatio beneficii ipsò iure nulla est; ut, cum ad sanitatem & rationis usum devenerint, beneficium in furore & amentia per renuntiationis viam dimissum repetere valeant, *arg. c. Super hoc 5. Archidiaconus in can. Quod autem 7. q. 2. num. 1. Flaminii l. cit. q. 8. num. 7. & 8. & Vallenf. de Benefic. Lib. 3. tit. 23. n. 1.*

31. Secundò, clerici constituti in Ordinibus sacris, si non habeant, unde decenter sustententur: etiam si ad beneficium non sint ordinati, juxta *Constitut. Pii V. quæ incipit Quanta Ecclesia editam Calend. April. 1568.* quæ, licet de facta coram Ordinario loquatur, locum tamen etiam habet in resignatione facta in Curia Romana, in qua nulla resignatio admittitur, nisi cum clausula, quòd *Resignans habeat, unde honestè vivat*, *Garcias p. 2. de Benef. cap. 5. n. 198.*

32. Tertio, clerici quicumque jus ad rem tantum ad beneficium habent, ut sunt electi, præsentati & habentes gratiam Expectativam; hi enim, licet iure ad rem per electionem, præsentationem &c. quæsito simpliciter cedere: non tamen prælaturam aut beneficium ipsum permutare, resignare in favorem aut ne id tertio conferatur, possunt; quia ante confirmationem vel institutionem canonicè obventa & propria non sunt, Innocent. *in c. Quod dubiis 8. & aliis DD. relatis Flamin. Lib. 2. q. 23. à n. 1.* Hæc satis recepta & certa.

33. Dubium autem primò de Papa, & ratio dubitandi speciosa est, quòd in terris non habeat superiorem, in cuius manibus Papatui valeat renuntiare. Nihilomi-

nus ab ipso quoque, præsertim ex justa & gravi causa, v.g. insufficientiæ ad regendam Ecclesiam universalem, summam illam dignitatem per renuntiationis viam dimitti posse, patet exemplo Cælestini V. ab eoque adhibito S. R. E. Cardinalium consilio decum, refert Bonifacius VIII. *c. 1. in 6.* cum enim aliis Episcopis hisque inferioribus prælatis propter utilitatem Ecclesiarum suarum suæque animæ salutem prælaturis cedere liceat, *c. Nisi 10. c. non etiam propter utilitatem Ecclesie universalis, præsertim ex causa insufficientiæ ad hanc regendam, summo Pontificatui liceat renuntiare?* Joan. Andr. *in c. 1. cit. n. 2. Vivianus ibid. pr. & Anst. p. 2. Institut. lib. 4. cap. 6. q. 3.*

Ejus certè renuntiationi non obstat quòd non habeat superiorem; cum hic ipsò; quòd eius potestas in terris suprema sit, legibus humanis hisque introductis solemnitatibus non adstringatur: & propterea, licet ad renuntiationis honestatem justa & gravis causa exigatur, & hæc etiam illam suadente conveniens sit, ut coram Cardinalibus fiat, ad illius tamen valorè, tam ejusmodi causa, quam istius præsentia, consensus & acceptatio necessaria non sunt: sed sufficit simplex declaratio voluntatis, supremæ illi Dei que in terris vicariæ potestati cedentis, ut ex *c. 1. cit. Verbis, Decrevit Romanum Pontificem posse libere resignare*, cum Franco *n. 3. Panormit. in sua quæst. 1. n. 9. Flaminio Lib. 5. q. 1. n. 13. & aliis desumit Barbosa in c. 1. cit. n. 3.*

Neque superioris, renuntiationem admittentis, interventum exposcit relaxatio vinculi conjugii spiritualis contracti cum Ecclesia Romana; quia id relaxare ipse potest nomine Christi & vi acceptæ ab eo potestatis faciendi omnia, quæ ad rectam Ecclesie & fidelium gubernationem spectant, *Glossa in c. 1. cit. V. Videri*

Barw, Joan. Andr. *ibidem* Sc Pirrhing ad  
hanc Rubr. n. 20.

34. Dubium secundò est de clerico mi-  
nore 25. annis. Et quidem, si impubes,  
hoc est, 14. annis minor sit, & benefi-  
cium Ecclesiasticum, cuius de Jure novis-  
simo capax non est, Trident. *sess. 23. cap. 6. de Reformat.* ex dispensatione Apo-  
stolica obtineat, id resignare sine autho-  
ritate tutoris, causâ cognitione & de-  
creto superioris non potest; cum sine tu-  
tore vel administratore ei dato agere ni-  
hil possit, c. *Ex ratione 2. de Etat. &*  
*qualit. & c. fin. de Judiciis in 6. Flamin.*  
*l. cit. q. 7. à n. 58.*

Idem de puberibus sentit Milius  
apud eundem *q. cit. n. 5.* quòd etiam his  
ad alienationem, cuius resignatio species  
quædam est, necessaria sit autoritas cu-  
ratoris. Sed melius eis, renuntiare aut  
etiam ad renuntiandum procuratorem  
constituere volentibus, curatoris inter-  
ventu opus non esse, tenent cæteri DD.  
plerique. Ratio est; quia minores, si 14.  
annis majores sint, in causis spirituali-  
bus ac dependentibus ab eis pro majori-  
bus habentur, ex Constitutione Bonifacii  
VIII. c. *fin. de Judiciis in 6.* An autem  
inconsultâ renuntiatione læsis minoribus  
in integrum restitutionis auxilio succur-  
rat, statuetur infra *Tit. 41. à n. 46.*

35. Dubium tertio & celebri contro-  
versa inter DD. est de Religionis novi-  
tio; huic enim perinde, ut cæteris cleri-  
cis, beneficii resignationem annuæ pro-  
bationis tempore totò permittam, cum  
Garcia p. 15. *de Benef. cap. 9. n. 2.* ex-  
stimant Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 99.*  
*n. 19.* & Palao *Traçt. 13. disp. 6. p. 2. §. 3.*  
*n. 25.* cā permoti ratione; quòd benefi-  
cii resignatio ipsi permittam fuerit Jure  
antiquo, c. *Ex transmissa 3. hic & c. Bene-*  
*ficium 4. ibi. Nisi accedat ipsius novitii*  
*assensus, de Regular. in 6.* cui per decre-

tum S. Synodi Tridentinæ *Sess. 25. cap. 16. de Regular.* non derogatum, inde de-  
sumunt; quòd istò de sola bonorum &  
officiorum temporalium renuntiatione  
fit sermo; cum expressè agat de renun-  
tiatione, quæ fieri potest in favorem cau-  
sæ piæ: qualis beneficii Ecclesiastici non  
est. Quare id, quòd antiquò, etiam moder-  
nò Jure obtinere volunt *arg. c. Cum*  
*expediat 29. de Elect. in 6. & l. Præcipi-*  
*mus 32. G. de Appellat. in fine.*

36. At verisimilius est, beneficii renun-  
tiationem à novitio factam ante duos  
ultimos anni probationis menses Jure non  
subsistere; & intra hos etiam factam, si  
professio non sequatur, effectum non  
fortiri, ut cum Flamin. *l. cit. q. 13. à n. 4.*  
sentiant Azor p. 2. *Instit. lib. 7. cap. 20.*  
*q. 6.* Tamburin. *Tom. 3. de Jure Abbat.*  
*disp. 6. q. 10. n. 3.* & Donatus *Tom. 2.*  
*Prax. Regul. p. 2. traçt. 7. q. 17. n. 3.* quòd  
allegatò Tridentini decretò beneficii re-  
nuntiatio satis comprehendatur verbis  
*Nulla quoque renuntiatio aliter facta &c.*  
*valeat;* hæc enim, cum generalia sint, &  
à S. Synodo ad sola temporalia non re-  
stricta, complectuntur etiam renuntia-  
tionem beneficiorum; quàm etiam affi-  
cit decreti ratio; cum primis Novitia-  
tùs mensibus factæ renuntiationis bene-  
ficii valor multum obstat libertati re-  
gressus, præsertim si novitius aliunde non  
habeat congruam sustentationem. Unde  
planè corruiat adversæ partis fundamen-  
tum.

Neque pro ea facit; quòd Synodus  
irritet renuntiationes, quæ sunt favore  
causæ piæ; quia, ejus decretò etiam alteri-  
us causæ intuitu factas comprehendit, a-  
pertè indicat particula *Etiam*, quæ impli-  
cativa est, & ab expressis diversa includit,  
*arg. c. Tanta 7. de Simonia Barbosa Di-*  
*ction. Usufreq. dict. 112. n. 4.* Idem col-  
ligitur à paritate officiorum temporalium,  
quo;

um, quorum renuntiationes, licet intuitu piæ causæ fieri etiam ipsæ nequeant, ante ultimum tamen Novitiatus bimestre factæ, Conciliaris decreti generalitate comprehenduntur, secundum ipsum Barbofam in cap. 16. cit. n. 4. et si ipsarum, ante Tridentinum jure subsistentium, expressa mentio non fiat.

37. Dubium quartò est de infirmo: cuius renuntiatio, licet antiquò jure subsisteret, arg. c. *Leſa* 14. ut ibi notat Panormit. n. 2. irrita tamen modernò est non ipsius duntaxat, sed, stylo & praxi spectatâ, sani cujuscunque & quomodocunque facta renuntiatio: nisi resignans, postquam ei à superiori acceptatâ per se vel per procuratorem consensum præstitit, 20. dies supervivat, vigore *Regulæ 18. Cancellaria Apostolica*, quæ ab Innocentio VIII. ex can. *Plerique* 8. q. 1. *Sc. fin. hic in 6.* desumpta est, & passim *Regula de Viginti* sive de *Infirmis resignantibus* nuncupatur.

Tenor ejus est, *Item voluit, ut si quis in infirmitate constitutus resignaverit, sive in Romana Curia, sive extra illam aliquod beneficium sive simpliciter, sive ex causa permutationis vel aliâ dimiserit, aut illius commendâ ceſſerit, seu ipsius beneficii dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signata, & postea infra 20. dies, à die per ipsum resignantem præstandi consensu computandos, de ipsa infirmitate decesserit, & ipsum beneficium quavis auctoritate conferatur, collatio hujusmodi sit nulla, ipsumque beneficium nihilominus per obitum censeatur vacare.*

Ratio *Regulæ* hujus introductæ gemina, & utraque justissima fuit. Prima; ut evitarentur fraudes, quibus collationes, cum Ordinariorum tum ipsius Papæ, & ab isto indultæ gratiæ Expectativæ impediabantur. Altera; ne infirmi in ar-

ticulo mortis de dignitatibus ac beneficiis Ecclesiasticis, perinde ut de patrimonialibus & prophanis bonis disponerent contra sanctiones Canonicas, quibus successio hæreditaria in beneficiis & officiis Ecclesiasticis damnata jam olim fuit, can. *Apostolica, can. Si ergo* q. 1. cit. c. 1. de *Præb. & dignit. Sc. Consuluit* 15. de *Jure Patronat.* Unde beneficium à quocunque per resignationem dimissum, non per eam, sed per obitum vacare censeatur, si resignans à præstiti consensu die viginti dies non supervivat. De qua frequentissimi usus *Regula*.

Convenit inter DD. primò, ejus dispositione comprehendi, imprimis resignantes quoscunque Papæ inferiores, etiam S. R. E. Cardinales, Archiepiscopos & alios, quantumcunque aliâ sint exempti: imò & Abbatissas aliasque feminas inferiores dignitates & beneficia Ecclesiastica quæcunque, tam Regularia quam secularia, etiam patrimonialia, patronata & sedi Apostolicæ reservata obvenientes: dein istorum resignationes, tam simplices quam conditionales, quomodocunque per se aut procuratorem factæ, ut cum *Rebuffo in Praxi Reg. cit. Gl. 4. Sc. 5.* & aliis observant *citt. Azor cap. 1. q. 24. & Vallenſis rit. 21. an. 4. cum 3. cum cit. Flamin. Lib. 12. q. 2. n. 9.* observaret, allegatâ *Regulam* non, ut quidam voluere, odiosam, sed favorabilem esse quibus, ut dictum, obviet fraudibus, & lubriconeat hæreditariam successionem in beneficiis; & propterea conformis sit juri communi, hanc damnanti, can. *Si ergo* & aliis *cc. citet.* & fraudibus occurrentium docenti, *Clement. Unio. Sc. fin. de Consul. Præb. Sc. l. Qui sub pretextu* 9. ibi *fraudibus esse obviandum, C. de SS. Eccles.* & ejus dispositionem extensionis patientem esse, per *Reg. Odia* 15. in 6. Convent

41. Conuenit inter eos secundò, *Reg. cit.* dispositione comprehendi resignationes, tam in Papa quam isto inferiorum manibus factas, ab iisque admissas; ut, si resignans intra 20. dies ex infirmitate decesserit, beneficiorum resignatorum collationes cum ipsis resignationibus corruant, & beneficia tanquam per obitum vacantia de novo conferri etiam aliis quam resignariis possint, *cit.* Rebuff. *Gloss. 2. à n. 3. & Gloss. 13. n. 1. Flamin. q. 13. n. 1. & Pirrhing ad hanc Rubr. num. 35.*

Conuenit tertio, *Reg. cit.* dispositione non comprehendi resignantem, qui post prælitum consensum intra 20. dies assecutus est beneficium cum eo, quod resignandò dimisit, incompatible, vel duxit uxorem, vel secutus est militiam secularem, vel etiam Religionem professus, itaque mundo mortuus est, *can. Placuit 16. q. 1. & l. Deo 56. C. de Episc. & Cleric.* quia dispositio loquens de morte regulariter exaudienda de naturali, neque trahenda est ad civilem: nisi in casibus iure expressis, *Gloss. in c. Statutum 6. V. Nec morte, de Rescript. in 6. cit. Cochier n. 16. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 33.* Unde regula etiam non procedit in eo, qui ob crimen beneficij privatus per sententiam intra 20. dies è vivis decedit. Secus esset, si beneficium, quò per sententiam privandus esset, resignans intra 20. dies moretur; tale enim beneficium non per resignationem, sed per obitum vacare censeretur, per *Reg. cit.* ut rectè observant *cit.*, alique DD. idem statuentes de eo, qui intra 20. dies à prælitò consensu in carcerem conjectus capite plecteretur: de quo tamen meritò quis ambigat; quòd *Reg. cit.* disertè loquatur de resignante, qui intra 20. dies *De ipsa infirmitate decesserit*: quæ verba in eo, cui mors violenta capitalis sententiæ executione illata

est, non verificantur, ut notat Rebuffus in *Reg. cit. Gloss. 11.* in dubio, an resignans ex infirmitate aut vi ab extrinseco illatà decesserit, medicorum arbitrio relinquendum, asserens,

Dubium autem & controversia circa prædictam Regulam est Primò, an ea procedat in resignationibus, quæ extra Curiam Romanam coram dioecesium Ordinariis & Legatis Apostolicis fiunt: quod cum Decio *Consl. 224. n. 4.* negat Mandosius in *Reg. cit. q. 16.* eà ductus ratione; quòd non meminerit renuntiationum coram his factarum: & in his non militent rationes ejus Regulæ introductæ; cum fraudibus ac deceptioni magis obnoxius sit Papa à dioecibus absens, quam istarum Ordinarii ac Legati: & in istorum manibus fieri nequeant resignationes in favorem, speciem referentes hereditariæ successionis.

Hac tamen ratione non obstante communior & verior sententia est, Regulæ istius dispositione etiam extra Curiam coram locorum Ordinariis ac Legatis factas renuntiationes comprehendi; quòd has quoque non obscurè includant verba, *De ipsum beneficium quavis (non Apostolica duntaxat) autoritate conferatur per resignationem sic factam*: quæ à posterioribus SS. Pontificibus addita, notat Cochier ad *Reg. cit. n. 9.* & si has verba non includerent, Regulæ tamen dispositio ad eas esset porrigenda; cum, ut dictum, favorabilis sit: & extra Curiam ex permutationis causa facta resignatio Ordinariorum collationem excludat: & si fiat ab infirmo, non careat specie hereditariæ successionis. Ita cum *cit.* Rebuffo *Gloss. 12. n. 3.* Gomez in *Reg. cit. q. 26.* & Flaminio *Lib. 12. q. 5. n. 8.* docent Azor p. 2. *Instit. Lib. 7. cap. 26. q. 1.* Vallensis *l. cit. n. 8.* & Barbola *Jur. Eccl. Lib. 3. cap. 15. n. 130.*

Cc c

Dubium

43. Dubium secundò est, an dies consensùs, post superioris acceptationem præstiti à resignante, computandus sit in termino, ut in 20. dierum numerum etiam veniat dies præstiti consensùs: quod cum *citt. Mandosio q. 18. n. 3. & Flaminio q. 8. n. 15.* verisimiliter affirmat Palao *Tract. 13. disp. 6. p. 6. §. 3. n. 10.* & suadet ratio; quia dies termini in termino computatur, quando interest ejus, cui terminus statuitur, Felin. *in c. 1. de Praescript. n. 4.* sicut in præsentis casu resignantis interest, diem sui consensùs in termino computari; cum ita resignatio citius firmetur & effectum consequatur. Quæ Opinio æquitati omnino consentanea est, si in proposita Regula dies, juxta *l. More 8. ff. de Feriis* accipiatur naturaliter pro completis 24. horis; ut, à præstito consensu dies prima ab ipso momento vel hora, præstatione consensùs v.g. sub horæ septimæ matutinæ finem factam sequente, in choetur, & cum proximè sequentis diei hora septima matutina terminetur; atque ita, si Titius primæ Januarii diei horæ septimæ in resignationis suæ acceptationem consensum per se vel per procuratorem præstitit, resignatio non corrumpitur, si vigesimæ primæ ejusdem mensis diei horæ octavæ decedat; quòd ita inter præstationem consensùs & obitum Titii viginti dies, à momento ad momentum completi, intercesserint; ac proinde Titius 20. diebus, à præstito consensùs die computatis, supervixerit, quod Regula requirit.

Sed, sicut Opinio hæc æquitati, sic infirmis resignantibus constitutæ Regulæ tenori magis consentanea & verisimilior est doctrina Rebuffi *in Reg. cit. Gloss. 1. n. 9. Gomez in Reg. cit. q. 37. Vallens. cit. Tit. 21. n. 21. & Cochier n. 39.* diem quidem etiam naturaliter accipientium pro 24. horis, sed eam magis conformi-

ter *l. More cit.* à media nocte usque ad alteram computantium, & residuum præstiti consensùs diem usque ad medium noctis è 20. dierum numero excludendum. Ratio est; quòd hæc 20. dierum termini inchoatio congruat Regule verbis, secundum communem usum & sensum acceptis; cum proposita Regula à 20. dierum terminus assignetur per distinctionem A, quæ suâ naturâ excludit diem consensùs, à quo viginti dierum terminus datur, Glossa & DD. *in c. Statutum 3. ff. Numerandum, de Prob. & dignit. in 6. §. l. 1. ff. Si quis cautioni &c.*

Neque contrarium persuadet pro eo allata ratio; quia 20. dierum terminus statutus est, non tam privato resignantis, quam publico favore Ecclesiæ, cujus interest fraudes & hæreditarias successiones in beneficiis evitari, secundum ipsum Flamin. *q. 2. n. 9.*

Dubium est tertio; an vigesima dies inchoata habenda sit pro completa. Affirmant hoc non pauci relati à Flaminio *q. cit. n. 19.* pro Regula statuente, diem inchoatam in favorabilibus habendam pro completa, *arg. l. Quæ arate 5. ff. de Testament.* Verùm Regula hæc in proposito casu non est locus, partim, quia solummodo procedit, quando tempus designatur per annos; tum enim ultima viginti dies capta pro completa habetur, *arg. l. cit.* non etiam, quando id designatur per dies; sicut enim in termino plurimum annorum ultimus solummodo inchoatus pro completo non habetur, *l. Non patet 45. ff. de Condit. & demonstr. l. cit.* termino plurimum dierum ultima solum inchoata pro completa haberi non debet, *citt. Flamin. q. 8. n. 27.* partim, quia 20. dierum terminus resignantibus statutus est favore boni publici: cui ad vitandas fraudes & successiones hæreditarias



stias in beneficiis expedit; dies inchoatas pro completis non haberi.

Quare melius cum Doctore *cit. n.*  
 45. 24. Viginti dies à momento ad momentū completos requiri, docent Cochier & Valdenf. *l. cit.* id firmantes decisione Rotæ & textu *Reg. cit.* quā beneficium per obitum vacare asseritur; Si resignans intra viginti dies decesserit; adeoque, si decesserit ante 20. diem completam; quia dictio *Intra* regulariter sua extrema includit, *l. 1. §. 1. ff. de Offic. Pref. Urb.* ut ibi notat Bartolus *n. 11.* Accedit, quod, si prima & ultima dies inchoata sufficeret, & integræ non exigerentur, Regula illa ad dies 18. & aliquot horas posset restringi; si nimirum consensus ultimæ primæ, obitus verò primæ horæ vigesimæ diei contingeret; ut probè observat *cit. Flamin. n. 25.*

46. Dubium quartò est, an beneficia, quæ resignantes intra 20. dies à præstito consensu decedunt, reservata sint Papæ. Qua in re statuendum est discrimen inter beneficia in Curia, & extra istam dimissa per viam resignationis.

Et posteriora quidem hæc, si simpliciter siue ex causa permutationis in inferiorum collatorum manibus dimissa sint, non reservata, sed istorum collationi obnoxia esse, *cit.* Rebuffi *Gloss. 14. n. 5.* Gomez *q. 33. à n. 2.* Flaminii *q. 9. n. 10.* Firthing *n. 35.* & aliorum sententia communis, ratioque clara est partim; quia reservatio tanquam odiosa trahenda non est ultra casus jure expressos: beneficiorum autem per resignationes extra Curiam in prælatorum Papæ inferiorum manibus dimissorum reservatio casu, quò resignantes intra 20. dies post præstitum consensum decedunt, neque proposita Regula neque aliò jure expressa reperitur: partim verò; quia Regula hæc etiam spectat favorem Ordinariorum; ne resignantiū,

beneficiis suis in favorem aliorum cedentium, fraudibus illa suæ collationi subtraherentur: id autem, quod ob alicujus gratiam & favorem introductum est, in ejus odium ac dispendium non debeat retorqueri *Reg. Quod ob gratiam 61. in 6. 51.* Quod favore 6. C. de LL. quod tamen contingeret, si beneficia quæ in ipsorum manibus resignata & ab ipsis collata sunt, resignatione & collatione ob resignantis obitum intra 20. dies currentes siue evanescente, subtraherentur ipsorum, & Apostolica provisioni reservarentur.

Priora etiam, siue in Curia & manibus Papæ resignata beneficia, si Apostolica provisioni aliàs reservata non sint, morte resignantis 20. dies non superviventis ad Ordinarios redire & ab his conferri posse, sistent *cit.* Garcias *p. 5. cap. 1. n. 160.* Cochier *à n. 21.* Ecclesiæ Leodiensis & ipsius Urbis praxim in eam rem allegans, & Engel ad *Rubr. de Prabend. num. 32.*

Moventur primò; quòd propositæ Regulæ vigore, sicut extra, sic & in Curia & manibus Papæ factæ beneficiorum resignationes, hæcque secutæ collationes resolvantur & penitus annullentur, ac si non factæ fuissent: ad quem statum redacta & per obitum vacantia beneficia, si aliunde reservata non sint, ab Ordinariis, aliisque Papæ inferioribus conferri posse, Juris est omnino explorati.

Secundò; quia hujusmodi beneficiorum reservationem non inducunt vacationes, in Curia secutæ ex resignationibus; quia hæc, obitu intra 20. dies secutò evanescent: neque etiam resignationes secutæ collationes; quia ista quoque resolvuntur & annullantur; ut omni careant effectu & in consequentiam etiam effectu reservationis ex appositione manūs Papæ; cum, ubi collationes Apostolicæ invalidæ sunt, beneficiorum affectionem

tionem induci, cum Pánormit. in c. *Inter dilectos* 11. de *Excess. Pralat.* n. 10. & Felino in c. *fin. de Præsumpt.* n. 20. negent plures relati à García cap. 1. cit. §. 2. à n. 141.

Tertio; quia ex principali sine Regulæ solummodo occurritur fraudibus clericorum, beneficia, quæ obtinent, & ex infirmitate sua vacatura consiciunt, per viam resignationis in consanguineos & amicos transferendò, hæreditariam in iis successorem introducentium: & succurritur Ordinariis, quorum collationi beneficia in favorem resignata subtrahuntur: qui finis plenius obtinetur, si beneficia etiam in Curia & manibus Papæ dimissa & resignantis obitu intra 20. dies secuto, vacantia Ordinariorum collationi per resignationis attentationem non subtrahantur.

48. Sed calculò multò frequentiori & meliori ratione beneficia in Curia resignata & alteri collata, morte resignantis 20. dies non supervivens secutà, Apostolicæ provisioni reservata esse defendunt *citt.* Rebuffus *Gloss.* 14. n. 4. Gomez q. 33. Flamin. q. 10. n. 4. Lotterius *Lib.* 3. de *Benef.* q. 15. n. 17. id Urbis sibi notissimo usu & Rotæ autoritate firmans, Azor p. 2. *Lib.* 7. cap. 28. q. 9. cit. Pirthing n. 35. & alii, reservationis rationem geminam reddentes.

Prima est; quia tacitè reservata sunt beneficia affecta per appositionem manûs Papæ ad effectum conferendi; ut antequam Apostolica ejus provisio effectum sortita sit, ab alio nequeant conferri, *Extravag. fin. V. Romani inter com. de Præb. & dignit.* Eneas de Falcon. de *Reservat. præud.* 3. Simonetta de *Reservat.* q. 64. n. 8. *citt.* Gonzalez *Gloss.* 52. n. 4. & 10. Azor *Lib.* 6. cap. 36. q. 5. Pirthing. n. 317. not. 2. & Card. de Luca *Theatr. V. & J. de Benef. disc.* 94. n. 5. Ea autem, de

quibus sermo est, beneficia affecta sunt per appositionem manûs Papæ ad effectum conferendi: cujusmodi manûs appositionem, licet effectum sortita non sit, ad inducendam beneficiorum reservationem sufficere, liquet ex eo; quòd, si Papa alicui de beneficio provideri mandet, id tanquam affectum & tacitè sive ipso facto reservatum conferre inferior non valeat: licet ex mandato illo provisio non loquatur, *V. Romani cit.* ut aliis DD. relatis Barbola *Jur. Eccles. Lib.* 3. cap. 13. n. 20. observat.

Altera est; quia communi Jure reservata sunt beneficia, quæ apud eundem sive in Curia vacant, c. *Licit 2. de Præb. & dignit. in 6. Extravag. Regimini* 13. *inter com. eadem Rub. & Germanæ Concordat. §. Placet.* Ea autem, quæ in manibus Papæ resignantes intra 20. dies decedunt, beneficia revera vacant in Curia ipso actu resignationis, per se vel per procuratorem factæ in manibus Papæ: qui in resignationem & beneficii collationem alteri factam non consensit omnino absolute, sed sub tacita conditione, si resignans 20. dies supervixerit: si verò is intra 20. dies, à præstito consensu sive istius die computandos decesserit, resignationem cum secuta collatione voluit evanescere, & beneficii vacationem per actum resignationis inchoatæ seu tentatæ indubitam perinde haberi, ac si resignans obitu in Curia accidisset; Papa enim proposuit Regulam nihil fingit circa ipsam beneficii vacationem, sive istius substantiam, sed solummodo circa modum; cum eam quæ inducta est actu resignationis, ob non impletam conditionem, sub qua facta est, non perfectæ & absolutæ, perinde haberi voluerit, ut si accidisset per obitum resignantis, eo tempore in Curia decedentis ad eum ferè modum, quò Romane leges patrem ab hostibus captum eò tempore, quo

quò captus est, vitâ functum fingunt; itaque ab eo tempore, quò evenit, obitum retrahunt ad tempus captivitatis, ut pupillaris substitutio vires suas teneat, *l. Pater II. pr. ff. de Captivo. & postlim. Lotterius q. cit. à n. 49.*

Ex harum rationum priore corrui contra reservationem deductarum prima, & secunda ratio ex posteriore.

Neque magis urget tertia, cum; quia proposita Regulæ intuitu multæ beneficiorum resignationes, in Ordinariorum præiudicium alias faciendæ, omituntur: tum verò; quia Papa, sicut Ordinarius collatoribus adversus resignantium fraudes succurrit, sic provisionem de beneficiis, antè sibi soli competentem, in Ordinarios alios transferre non intendit. Cùm ergo beneficia in suis manibus resignata & collata aliis, si resignatio vel collatio ex quacunque causa nulla vel literarum super iis expeditarum executio ex quacunque causa secuta non sit, novæ provisioni Apostolicæ reservata fuerint ante, *c. Licet & V. Romani cit.* ei reservata etiam erunt post proposita Regulæ introductionem. Unde

50. Inferitur, beneficia subiecta Alternativa, seu quorum vacantium collatio alternis mensibus ad Papam vel Ordinarium pertinet vigore *Reg. 8. Cancell. vel Germaniæ Concordat. §. De cateris*, si in mense Apostolico & manibus Papæ resignentur, istius provisioni reservata esse, quantumvis ea resignantes intra 20. dies à præstito consensu decesserint: & contra, beneficia sive simpliciter sive ex causa permutationis in mense & manibus Ordinarii resignata, ab isto conferri posse, quantumvis resignantium, intra 20. dies decedentium, obitus in mensem Apostolicum incidit; quòd juxta dicta talis obitus Juris seu proposita Regulæ fitione ad resignationis in manibus Ordina-

narii inchoatæ, sed propter præmatu- rum resignantis obitum non perfectæ diem retrahatur, *arg. pr. l. Pater cit.*

Dubium est quintò de probatione obitus intra 20. dies à præstito consensu, Cujus onus resignationem ex eaque secutam beneficii collationem impugnantem incumbere, res omnino explorata aperta que ratio est; quia probatio regulariter incumbit ei, qui in adversæ partis præiudicium aliquid affirmat, super eoque fundat suam intentionem *l. Ei incumbit 2. juncta Glossa V. Eodem ff. de Probat & l. Qui accusare 4. C. de Edendo*: is autem, qui resignationem & ex ista secutam collationem beneficii ex proposita regula impugnat, intentionem suam fundat super obitu resignantis, 20. dies à præstito consensu non supervenientis. Unde eum, non solum resignantem certo die *vg. Calendis Januarii decessisse*, sed insuper, eo sive obitus die terminum 20. dierum à præstito consensu die jam fuisset lapsum, probandi onere gravant in *Regulam cit. Rebuffus Glossa 2. n. 4. Gomez q. 36. Mandosius q. 6. Cochier. n. 18. & communis sententia DD. aliorum.*

52. Probanda autem hæc impugnantem sunt probatione non qualicunque, sed certa claraque *vg. per duos omni exceptione majores testes deponentes*, se resignantem mori aut jam mortuum vel sepulturæ mandari vidisse, vel per publicum vel authenticum instrumentum, *cit. Gomez q. cit. Cochier. n. 18. & Flamin. q. 7. n. 8.* propter gravitatem præiudicii, resignatario & ipsi etiam resignanti inferendi; cum, si ostendatur illius obitum intra 20. dierum terminum accidisse, non solum resignatio & hanc secuta beneficii collatio maximo resignatarii damno penitus evanescat: sed ipse etiam resignans defunctus gravetur præsumptione vel suspitione fraudis & hæreditariæ successionis

Ccc 3 fionis

sionis in beneficio contra sacros Canones attentata. Quare, licet aliàs, cum de nullo tertii vel modico præjudicio agitur, mors per famam & vocem publicam, per unum testem cum juramento & similibus probationibus sufficienter probetur, per tradita à Mascardo de Probat. concl. 1076. à n. 1. ad effectum tamen Regulæ præsentis sive resignationem & collationem annullandam, resignantem ante 20. dierum, à præstiti consensûs die numeratorum, lapsum, decessisse ejusmodi probationibus præsumptivis evinci, DD. cit. negant adeò; ut in dubio, an resignantis obitus ante vel post 20. dierum lapsum acciderit, ad excludendam fraudem & resignationis atque collationis actus sustinendos, terminò illò jam lapsò mortuus præsumatur, arg. l. Quoties 12. § 80. ff. de Reb. dub. & de V. O. cit. Mandol. q. 7. n. 6. & Flamin. q. 6. n.

§ 3. 15. expicientes casum, quò præmaturum resignantis obitum à resignatario istiusve consanguineis aut familiaribus studiosè occultatum constaret; quòd v.g. ad illum, in resignatarii domo ægrotantem, aliquot ante obitum publicatum diebus neque medici neque alii, ipsum invisere volentes admissi, & obitus post 20. dierum lapsum publicatus fuisset; quòd ex hujusmodi circumstantiis intervenientis fraudis & mortis 20. dierum lapsum antecedentis violenta præsumptio oriatur, & locus sit l. Dolum 6. C. de Dolo.

#### ARTICULUS IV. De Superiore Resignationem admittente.

##### SUMMARIUM.

54. Renuntiatio exigit consensum Superioris:  
55. Nisi beneficium primùm quærendum,

56. Vel beneficiatus ingressurus sit Religionem.  
57. Fieri nequit in manibus laici:  
58. Sed Ecclesiastici tantum Superioris.  
59. Simplicem resignationem admittit Ordinarius:  
60. Nisi beneficium exemptum sit, vel specialiter reservatum.  
61. Idem ceterorum reservatorum resignationes,  
62. Et non reservatorum permutationes admittit.  
63. Alias conditionales admittit solum Papa.  
64. Quòd SS. Canonibus specialiter repugnent:  
65. Et aliquando inducant collationes beneficium non vacanti.  
66. Conditionem Ordinarius ab ea,  
67. Et à facta ex causa permutatiois rejicere nequit.  
68. Coram alio facta legitimo Superiori non præjudicat:  
69. Sed soli renuntianti.

**A**D renuntiationem, sive simpliciter sive sub conditione factam, necessaria est auctoritas Superioris, eam admittentis, cui Denique 6. q. 3. can. Abbas 2. q. 2. c. Admonet 4. ibi, Te, Episcopo, admittente inconsulto: quibus verbis non consilium duntaxat, sed consensum denotari, in c. cit. notant Gloss. P. Incognito, Panormit. n. 2. & Fagnanus n. 2. neque id immeritò; cum enim beneficium Ecclesiasticum sine consensu & auctoritate superioris nequeat obtineri, c. cit. istius consensus etiam requiretur ad ipsius dimissionem, arg. c. 1. de R. l. quod etiam suadet Ratio æquitatis; cum enim clericus Ecclesiã vel beneficium in titulum acceptò sine justa & gravi causa privari non possit, æquum omnino est ut vice-

ut vicissim ipsam & beneficium dimittere nequeat sine consensu superioris, ejus renuntiationem acceptantis nomine Ecclesie, cui is beneficium acceptandò se alligavit, *c. Nisi cum pridem 10. §. Verum, Gonzalez in c. Admonet cit. n. 6.*

55. Excipienda tamen sunt. Primò beneficia primùm quærenda, & ad quæ jus ad rem tantùm obtinetur, *vg. electio, præsentato, habenti gratiam expectativam ad beneficium vacaturum; hi enim ante institutionem, collationem, juri per electionem vel præsentationem acquisito renuntiare sine superioris autoritate liberè valent, per text. & arg. c. Si electio 26. de elect. in 6. Flamin. Lib. 6. de Resignat. q. 1. à n. 74.* Secundo, Clerici beneficiati ingressuri Religionem; his enim, licet Episcopi sui licentia petenda sit, istà tamen non obtentà à clericali ad Regularem vitam transitus est permissus, *arg. c. Licet 18. de Regular. quò locò à laxiori ad strictiorem observantiam transitus petità, licet non obtentà, superioris licentià est permissus, fm. Glossa in c. Admonet cit. Hostiens. n. 15. Joan. Andr. n. 8. & Fagnanus n. 17.*

57. Superior autem, cujus ad resignationem autoritas necessaria est, esse nequit laicus: imò in istius manibus spontè facta beneficii Ecclesiastici renuntiatio irrita est ipsò Jure, *c. Quod in dubiis 8. licet propterea, qui in ejus manibus beneficium dimisit, istò per sententiam veniat privandus, c. cit. ibi, Sponte beneficium in manum laicam resignantes eodem sunt spoliandi.* Non etiam, si resignatio in ejus manus vi metùve in virum constantem cadente sit extorta; tali enim, uti & dolò ad eam inducto, succurrendum: nec beneficium auferendum esset, *c. Ad audientiam 4. De iis, qua rē metùve, Hostiens. in c. Quod in*

*dubiis cit. V. Sponte & ibi Laiman n. 7.*

58. Coram quo autem superiore Ecclesiastico beneficium dimittendum sit, ut planius constet, præ oculis habenda est supra n. 8. tradita distinctio inter renuntiationes.

59. Nam primò, Simplex fieri potest coram quovis Ordinario, cui beneficia Ecclesiastica sunt subjecta: cujusmodi post Papam, de iis plenè & absolute disponendi potestate pollentem, *c. Licet 2. de Præb. & dign. in 6.* sunt ipsius de Latere Legati, in provinciæ suæ beneficiorum collatione de Jure communi cum diecesium Ordinariis concurrentes, *c. 1. de Offic. Legat. in 6.* Episcopus, *c. Admonet cit.* Archiepiscopus respectu propriæ suæ diecesis, *arg. c. Pastoralis 11. pr. de Offic. Ordin.* alii prælati, in certo territorio jurisdictionem quasi Episcopalem, ac proinde instituendi destituendique potestatem obtinentes, Panormit. *in c. Quod in dubiis cit. n. 6. & cit. Flamin. Lib. 7. q. 15. à n. 3.* & sede Episcopali vacante capitulum Cathedralè, saltem respectu eorum beneficiorum, quorum collatio ad ipsum simul & Episcopum spectat, *Flamin. q. 23. n. 37.* Nisi, quod hic D. n. 40. addit, Capitulum esset in quasi possessione juris sede vacante recipiendi resignationes omnium beneficiorum, etiam spectantium ad solius Episcopi collationem: quod ipsi de Jure etiam competere, cum Panormit. *in c. Cum olim 14. de Majorit. n. 2.* existimant Azor p. 2. *Instit. Lib. 7. cap. 19. q. 7. & Palao Tract. 13. disp. 5. p. 4. §. 2. n. 5.* eà persuasi ratione; quòd Episcopo succedat in jurisdictione Ordinaria, exceptis casibus Jure specialiter expressis, juxta Regulam statuendam *Lib. 3. tit. 9. n. 4.* atque idcirco ex justa causa destituere valeat beneficiatum; ac proinde istius admittere resignationem; cum destitu-

destituendi & resignationes admittendi potestas ferè sit conjuncta, ut *cit. iii. 9. n. 32.* plenius tradetur. Præter hæcenus relatos simplices renuntiationes admittuntur ex privilegio vel consuetudine legitime præscripta aliquando possunt alii prælati inferiores, Pirhing *ad hanc Rubric. n. 76.*

60. Excipiendus tamen est imprimis Episcopatus, c. 1. c. *Inter 2. Sc. de Translat. Episc. & c. Ni cum pridem 10. hic,* eoque superiores Ordinis Episcopalis Prælati, & S. R. E. Cardinalatus, Flamin. 9. 11. à n. 12. Deinde, Præpositurae sive dignitates majores & principales in Collegiatis, uti & post principalem sive Pontificalem primam in Ecclesiis Cathedralibus, sedis Apostolicæ dispositioni specialiter reservatae, *Cancell. Apostol. Regul. 3.* quibus renuntiantes ad sedem Apostolicam remitti consueverunt, *cit. Flamin. n. 30.* Et demum beneficia exempta; quia respectu istorum immediatus superior est Papa, c. *Aurhoritate 4. de Privileg. in 6.* istiusque à Latere Legatus in provincia existens, c. *Si Abbatem 36. de Elect. in 6.* Glossa ibi *V. Deferendi, Franc. n. 5. & Flamin. n. 35.*

61. Idem de beneficiis reservatis omnibus dicendum, videri potest; quod à diocesano Ordinariis nequeant conferri. Hac tamen ratione non obstante, eorum resignationes simplices admitti ab istis posse, pluribus DD. & Rotæ decisionibus adductis, docent Flamin. 1. *cit. n. 32.* & Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 69. n. 23.* quod eorum reservatione locorum Ordinariis expressè sola beneficia conferendi, non etiam renuntiationes admittendi potestas adempta; & reservatio sit odiosa.

62. Secundò, coram iisdem collatoribus Ordinariis fieri possunt resignationes ex causa permutationis beneficiorum inter resignantes; dummodo ea non sint

reservata vel exempta, ut plenius tradetur *Lib. 3. Tit. 19. à n. 28.*

Tertiò resignationes Conditionales, in favorem tertii, sive sub conditione beneficii certæ personæ conferendi, vel cum fructuum aut pensionis, cum Regressus vel Regressus reservatione valde fieri coram solo Papa posse, patet ex *Stylo seu praxi Curia Romanæ*, ceterarum Ecclesiarum generali consuetudine, & *Constitut. Pii V.* quæ incipit *Quarta Ecclesia edita Calend. April. 1568.*

Ratio autem, ejusmodi renuntiationum admissionem ceteris Ecclesiarum prælati prohibendi, & ab ipsis admittas irritandi, præcipua fuit; quod adferuntur SS. Canonibus, pro spiritalibus hisque annexis, & beneficiis præsertim Ecclesiasticis obtinendis, paciones & conventiones tanquam Simoniacas generaliter reprobantibus, c. *Cum pridem 4. c. Cum clerici 6. c. fin. de Patru Et. & renuntiationes in favorem ad dignitates & Ecclesiis utiliores personas à dignitatibus & beneficiis Ecclesiasticis remouendas tendant, contra c. Gravè 29. de Preb. & dignit. & Trident. Sess. 14. cap. 1. de Reformat. atque insuper speciem referant hereditariæ successione; cum, quod suum beneficium resignat eâ conditione, ut certæ alicui personæ conferatur, hæc in eo successorem, & ferè affectu naturali impellente ac prævalente designat, & constituere videatur, contra *can. 15. ergo 8. q. 1. & c. 1. de Prebend. cum ingressu vel Regressu factæ etiam inducant votum captandæ vel optandæ mortis alienæ, scilicet personæ resignatæ, à Concilio Lateranensi c. Nulla 2. de Concess. preb. à Bonifacio VIII. c. Detestanda 2. eadem Rubr. in 6. & rescriptum etiam Imperialibus reprobatum, l. Factum 15. l. Licet 19. C. de Patris; cum fructuum autem vel pensionis reservatione factæ præ-**

factæ præterea tendant ad beneficiorum divisionem, & collationem cum reddituum diminutione faciendam: quorum illud decreto Concilii Turonensis *c. Majoribus 8. de Præb. & dignit.* istud *c. Unico Ut benef. sine diminut.* adverteatur.

65. Accedit; quod collatio in favorem inducat collationem beneficii non vacantis; cum enim fiat sub conditione beneficii alicui tertio conferendi, hoc actu abdicatum non erit, nec vacabit, antequam impleatur conditio, sub qua resignatio est facta, §. *Ex conditioe 4. Instit. de V. O. l. Sub conditioe 16. ff. de Condit. indeb. l. Si quis sub conditioe 8. ff. Si quis omiffa caus. test. & l. Cedere 213. ff. de V. S.* & propterea, si beneficium ex quacunque causa resignatario non acquiritur, ejus jus remanet penes resignantem, ut est communis sensus DD. Rotæ decisionibus firmatus à Flaminio. *Lib. 1. q. 3. n. 47.* ac proinde in hujusmodi resignatione, antequam beneficium vacet, tertio, in cujus favorem ea facta est, confertur, contra *can. Eum qui 7. q. 1. c. 1. de Concess. præb. Clement. unic. & c. Unico, de Rerum permutation. m. 6. Tholoian. de Benef. cap. 28. n. 9.* Quæ ratio viam complanat ad expeditam resolutionem.

66. Dubitan à collatoribus Papæ inferioribus renuntiatio conditionalis facta cum clausula, *Non aliter nec aliò modo*, istà rejectâ, admitti valeat tanquam simplex & pura; quantumvis enim hoc fieri, & beneficium alteri conferri ab ipsis posse, cum Boerio *de Potest. Legat. q. 2.* censerint Redoanus *de Simonia p. 2. cap. 13. n. 9.* & Covarruv. *Lib. 1. Variar. cap. 5. n. 5.* inducti partim paritate cum renuntiatione ex causa permutationis, quam conditionalem esse plerique agnoscunt: eaque beneficium ita, ut sine nova collatione non recuperetur, amitti deju-

munt ex *c. Cum univ. forum 8. de Rer. permutation.* ubi, qui beneficium ejus causâ dimisit, ex benignitate, non ex rigore Juris, est restitutus; partim verò; quòd conditiones, sub quibus ejusmodi resignationes fiunt, juxta deducta, adverteantur SS. Canonibus; ac proinde rejici possint tanquam turpes, *arg. c. fin. de Condit. apposte.* quò textu relata Gregorii IX. decisio est, ejusmodi conditiones rejiciendas à matrimonio carnali, cui spirituale æquiparatur, *c. Inter 2. de Translat. Episc.*

Multò tamen veriùs, ejusmodi renuntiationis, tanquam simplicis ac puræ, admissionem Ordinariis collatoribus permittam, negant Rebuffus *in Praxi Tit. de Resignat. n. 7.* Garcias *de Benef. p. 11. cap. 3. n. 155.* Suarez *de Simonia cap. 35. n. 11.* Barbosa *Jur. Eccles. lib. 3. cap. 15. n. 4.* & alii. Ratio est; quia generaliter actus sub conditione gestus, ac proinde etiam resignatio conditionalis, non impletâ conditione, effectum non sortitur, §. *& l. cit.* & gestus cum qualitate, istâ rejectâ, acceptari non potest: sed in forma specifica est adimplendus, secundum Regulam *l. Qui heredi 44. §. l. Mevius 55. ff. de Condit. & demonstr.* à Flaminio latè exornatam *q. cit. à n. 15.*

Neque in contrarium facit; quin potius favet paritas cum permutatione; cum etiam, si istius causâ facta resignatio effectu careat, resignantem ad suum beneficium ejus causâ dimissum sine nova collatione redire posse, cum *cit. Flaminio n. 12.* & aliis observet Barbosa *in c. Cum univ. forum cit. n. 6.*

Neque obstat *cit. c. Textus*, cum; quia eò ne verbò quidem mentio fit novæ collationis: tum verò; quia benignitas & venia eò indulta non respicit restitutionem, sed culpam ex simplicitate admittam in modo, quò beneficia erant

D d d permut-

67.

permutata, ut advertit Barbosa *cap. cit. n. 48. in fine.*

Neque in hoc paritas est cum matrimonio carnali: de quo, *c. fin. cit.* prodata decisio seu dispositio, specialis & contraria est Regulæ *l. Ubi autem 3. Sc. ff. de Condit. ob turp. caus. &c.* si paritas esset, ejusmodi conditio tanquam naturæ institutionis repugnans, matrimonium spirituale vitaret, *arg. c. fin. cit.*

68. Dubium ulterius est de valore renuntiationis factæ in manibus Ecclesiastici quidem, sed non legitimi superioris. Ratio dubitandi oritur ex *c. Quod in dubiis 8. verbis, Nullam obtineat firmitatem*: quibus ea omnino irrita videtur pronuntiari, & pro tali habetur ab Holtienfi *in c. cit. n. 1. & Garcia cap. 3. cit. à n. 223.*

Sed hac in re apud DD. recepta est distinctio: cujus beneficii ea quidem nulla & invalida, quatenus spectat Ecclesiam & superiorem, coram quo facienda de jure fuisset; ut, si resignationem ratam habere nolit, resignantem ad beneficii retentionem compellere valeat, *juxta can. Non oportet 7. q. 1. pro valida tamen habetur, quatenus respicit renuntiantem; ut beneficium ejusmodi renuntiatione dimissum nequeat repetere: & si repetierit, ad ejus dimissionem valeat compelli, Glossa in c. cit. V. Resignantes Panormit. ibidem n. 3. Flamin. Lib. 7. q. 1. n. 11. & Vallens. de Benef. lib. 3. tit. 17. n. 2.* Ratio distinctionis est; quod actus indebitè & contra sacros canones gestus agentis, ne ex perperam à se facto commodum reportet, non prodesse: & contrà præjudicare non debeat superiori; cum alteri per alterum iniqua conditio non debeat inferri, *l. Non debet 74. ff. de R. I.*

69. Quare, cum *c. Quod in dubiis cit.* renuntiationi firmitas adimitur, id re-

spectu superioris, ut huic non præjudicet, exaudiendum, rectè notat *cit. Flamin. n. 27. & 33.* ut quantumvis in istius arbitrio sit, an renuntiationem annullare vel ratam habere; proindeque renuntiantem ad beneficium repetendum vel dimissum non repetendum compellere velit: renuntians tamen id per renuntiationem semel dimissum, itaque quoad possessionem amissam repetere non possit, legitimò superiore renuntiationem ratam habente: eaque ratione ipsum privante beneficii proprietate, aut hac privatam declarante, Panormit. *in c. cit. n. 8. & Menoch. de Arbitr. jud. casu 201. n. 46.*

## ARTICULUS V.

### De Renuntiationis Causis.

#### SUMMARIUM.

70. Causa renuntiandi Episcopatus.
71. Cujusmodi non est ingressus Religionis:
72. Nisi respectu personæ, illi parum utilis.
73. Episcopus invalidè vocet Religionem.
74. Facilius dignitatum & beneficiorum inferiorum:
75. Imò simplicium resignationes in Curia, certà causa non expressè.
76. Extra eam verò, ex multis causis admittuntur:
77. Dummodo clericus habeat congruam sustentationem,
78. Et beneficia consanguineis non conferantur.
79. In dubio justa causa presumitur.

Ad re.



70. **A**D renuntiationem beneficii, si-  
ve simpliciter siue sub condi-  
tione & coram quocunque su-  
periore fiat, necessaria est ju-  
sta causa, præsertim Episcopo Ecclesiam  
suam dimittenti. Concedi autem istius  
siue Episcopatus renuntiatio solet ob sex  
causas, *c. Nisi cum pridem* 10. ab Inno-  
centio III. propositas: quarum

Prima est, conscientia criminis:  
non cuiuscunque; quia aliis pauci vel  
nullus omnino in illo ministerio remane-  
ret; cum nullus sit absque peccato: sed  
talis, propter quod officii executio, e-  
tiam post peractam penitentiam impe-  
ditur, *c. cit. V. Propter conscientiam*,  
ut vg. sunt Simonia comissa in electione,  
Hæresis, Assassinium, falsatio literarum  
Apostolicarum, & quib<sup>9</sup> annexa est infamia  
Juris, ut vg. est hostilis persecutio ali-  
cujus Cardinalis, *c. fin. de Penis in l. 6.*  
Flamin. *Lib. 5. de Resignat. q. 3. n. 11.*  
& Laiman *in c. cit. n. 5.*

Secunda, debilitas corporis, siue  
ex infirmitate siue ex senectute proveni-  
ens: & tanta, ut impotentem & inha-  
bilem reddat ad Pastorale officium debitò  
modò exequendum, *c. cit. V. Alia ubi*  
Glossa *V. Impotens* & Laiman *n. 9.*

Tertia, defectus scientiæ: non  
quidem eminentis; cum imperfectum  
scientiæ supplere valeat perfectio chari-  
tatis: sed necessariæ ad administrationem  
spiritualium & temporalium curam ritè  
gerendam, *c. cit. V. Pro defectu.*

Quarta, malicia plebis, Episcopo  
parantis insidias, aut debitam obedien-  
tiam pertinaciter & sine emendationis  
vel reconciliationis spe negantis, *c. cit.*  
*S. Propter malitiam*, ubi Laiman *n. 8.*

Quinta, grave scandalum populi,  
quod ex gestis & præsentia Episcopi pe-  
tatur, *c. cit. V. Pro gravi*: ex qua cau-  
sa S. Gregorius Nazianzenus ab Ecclesia

Constantinopolitana sponte recessisse  
perhibetur in Breviario *9. Maij cit.*  
Laiman *n. 9.*

Sexta demum, irregularitas per-  
sonæ: non quæcunque, sed in qua non  
facile solet dispensari, *c. cit. V. Persona*,  
vg. si bigamus; quòd duas uxores aut vi-  
duam duxisset, aut ex damnato coitu  
procreatus, vel reus esset homicidii vo-  
luntariè ac notoriè perpetrati, *cit. Lai-*  
man *n. 10.*

Eidem Episcopatu renuntiandi suf-  
ficiens causa esse videtur ingressus  
Religionis, ut quis propriæ salutis vaca-  
re tutius possit. At revera non est: &  
esse disertè negatur, *c. Nisi cit. V. Quis-  
pe & can. Suggestum 7. q. 1.* quia melius  
est; ut, qui per susceptionem Episcopa-  
tus alicui Ecclesiæ spiritualis conjugii vin-  
culo est alligatus, séque ad subditorum  
ei fidelium salutem procurandam obliga-  
vit, in eo statu perseveret, quamdiu  
Ecclesiæ utiliter servire potest, ut docet  
S. Thomas *2. 2. q. 18. art. 1.* Quæ li-  
cet ita se habeant, casu tamen, quò  
Episcopus gregi suo utiliter præesse non  
posset, melius faceret Episcopatu  
propriæ salutis liberiùs vacet, in mani-  
bus Papæ renuntiandò, quàm eum reti-  
nendò, ut S. Doctor *cit. ad 1. adver-*  
tit & ex *c. Nisi cit. V. Quippe* verbis,  
*Dummodo proficere illis possit*, desumi po-  
test. Quin etiam casu, quò alii Eccle-  
siæ melius aut æquè bene præfuturi &  
populi diocesani salutem promoturi sint,  
facile haberi possunt, Episcopatu  
renuntiandi & ad Religionem transeundi  
licentiam licitè peti: & quòd ita bo-  
no publico & privato simul consulatur,  
concedi posse, censent Suarez *Tom. 3.*  
*de Relig. lib. 5. cap. 20. n. 7.* & Palao  
*Tract. 16. disp. 1. p. 7. §. 1. n. 4.* Unde  
satis expedita est resolutio

Dubii de voto Religionis, edito ab  
Episco-

D d d 2

Episcopo; licet enim hoc aliqui validum, alii irritum absolute pronuntiant, pugnantem tamen eorum Opiniones in concordiam reduci possunt ope distinctionis: & casu quidem, quò ipse ad Ecclesiam regendam ex quacunque causa minus sufficiens, aut illi & Christiano gregi alii melius profuturi iudicantur, votum tenere, & saltem ad renuntiandi licentiam à Papa petendam obligare, cum Sylvestro *V. Forum* 3. q. 1. non male defendunt, Suarez *l. cit.* & Azor *p. 1. Instit. lib. 11. cap. 16. q. 2.* Casu autem, quò Episcopus Ecclesie suae utiliter praestit & praefuturus, praesertim praestit aliis, iudicatur, ejusmodi votum pro irritum cum D. Thoma *q. cit. art. 5.* merito habent Sotus *Lib. 10. de Justitia q. 2. art. 4.* & Laiman *in c. Nisi cit. n. 4.* Ratio est; quia ex una, votum, ut valeat, esse debet de meliori bono, secundum ejus definitionem traditam ab eodem Doctore Angelico *2. 2. q. 88. art. 1.* & à cæteris DD. passim receptam: ex altera verò parte, melius, hoc est, Deo gratius opus est, si Episcopus, qui se Ecclesie obligavit, ab ea, quamdiu huic obligationi satisfacere potest, non recedat. Accedit; quòd frustra peteretur renuntiandi licentia, secundum SS. Canones non concedenda Episcopo, qui Ecclesie suae utiliter praestit: eamque deferendi aliam causam non allegaret, *V. Nec putes cit.*

Neque huic resolutioni adversatur decisio, *c. Per tuas 10. de Voto*; quia eà sermo est de Voto Religionis, edito ante susceptionem Episcopatus & spiritualis conjugii vinculum contractum; tale enim votum implere melius est, quam eò non impletò extra casum necessitatis aut utilitatis suscipere Episcopatum, praesertim cum illò jam impletò ad hunc eligi possit, *Clement. 1. de Elect.*

74. Ex iisdem causis, ex quibus Episco-

patus, resignari etiam posse praefaturas et inferiores & cæteras dignitates ac beneficia curata, cum Rebusso *Tit. de Resignat. n. 2.* & Redoano *cit. cap. 12. n. 11.* tradit Flamin. *Lib. 5. q. 4. n. 1. & 13. in fine.* Ratio est; quia spiritualis conjugii vinculo multò arctiori Ecclesie suis Episcopi, quam cæteri praelati & beneficiati, sunt alligati: eamque ob causam Ecclesie suae dimissio difficilior Episcopo, quam suarum aliis solet concedi.

Multò autem facilius, quam illis, & ex levioribus causis, v.g. quòd longè tempore Ecclesie deservierint, vel ut aliis conferantur, beneficiorum simplicium resignationes admittuntur. Imbecillitatem non simpliciter duntaxat, sed in favorem etiam facta resignationes in Curia Romana admitti olim consueverunt, quantumvis in supplicationibus non exprimeretur ulla causa in specie: sed generaliter diceretur, *Cum ex certis & rationabilibus causis animum suum moribus intendat resignare*, teste Flaminio *cit. q. 5. n. 3.*

Extra Curiam autem illam admitti ab Ordinariis possunt ob aliquam ex causis in *Constitut. Pii V.* quae incipit *Quarta Ecclesia* edita *A. 1568.* relatis: quorum modi praeter senas *c. Nisi cit.* expressis sunt; quòd beneficiatus sit consecutus leprosi aut valetudinarius: quòd gravi morbo, v.g. lepra, paralyti, morbo Gallico, comitiali vel alio contagioso aut diuturno impeditus: quòd vitiatus corpore, v.g. caecus, claudus, mutus, surdus, membrum mutilatus, debilitatus vel deformatus: quòd reus criminis, ob quod variari posset beneficio, v.g. Simoniae, adulterii, homicidii, Sodomiae, concubinae, perjurii: quòd censuris Ecclesiasticis interdictus: quòd propter irregularitatem, infamiam, turpem aut scandalosam vitam Ecclesie nequeat vel non debeat servire.

servire: si obtineat duo beneficia incomparabilia, quorum neutrum ipsò jure est amissum: si ingressurus Religionem vel matrimonium contracturus sit: si ob capitales inimicitias in loco beneficii nequeat residere, ut latè explicant *cit.* Flamin. *g. 6. tota* & Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 69. à n. 31.* qui tamen ex allegata Constitutione Piana tria, hoc loco non prætermittenda, observat.

77. Primò quidem irritam esse renuntiationem clerici in sacris constituti, ex dictis etiam causis admissam: si aliunde commodam sustentationem habere non possit, *n. 47.*

78. Secundò, beneficia in Episcopi & collatorum inferiorum manibus resignata, neque istorum, neque resignantium consanguineis, affinibus, aut familiaribus, præsertim ex ipsorum renuntiantium designatione conferenda. Ratio est; quòd Ordinarii admittere nequeant resignationes in favorem, juxta dicta *n. 47.* quarum, saltem tacitè & indirectè factarum, imò Confidentialium speciem cum præferant, quibus dimissa beneficia ejusmodi personis, saltem resignantium consanguineis &c. conferuntur, meritò his conferri prohibita sunt; ne, quod unà vi prohibetur, ad id alià admittatur, contra *Reg. cum quid 84. in 6.* partim verbò; quòd fieri præsumantur ex affectu carnis: & per eas resignantium propinquus, sicut bona temporalia, sic etiam Ecclesiæ & beneficia Ecclesiastica hæreditariæ successionis vià & jure obvenire, contra *can. Apostolica 8. q. 1. c. 1. de Preb. & dignit. Sc. cit.* Flamin. *lib. 5. q. 6. d. n. 188.* & Barbosa *Jur. Eccles. lib. 3. cap. 15. n. 112.* ubi saluberrimam hanc Pii V. Constitutionem ex parte in Hispania non servari, imò contra eam supplicatum ex *cit. Garcia cap. 3. n. 270.* & aliis refert: eamque in Germania inferiore usu non

receptam, asserit Zypæus *Analyt. Jur. Pontif. ad hanc Rubr. n. 1.* quòd etiam Praxis docet de Germania superiore.

Tertiò, quantumvis renuntiationem 79. in dubio ex rationabili causa factam esse præsumi possit, *arg. c. In presentia 6. eam tamen, quæ sine aliqua ex enumeratis causis facta est, irritam esse, monet n. 46.* Quòd in nostris partibus usu non receptum: & resignationes ab Ordinariis ex aliis, jure tamen non reprobatis, causis admissas subsistere, existimat Zypæus *ibid. n. 1.* & Engel *ad hanc Rubr. n. 6. in fine.*

## ARTICULUS. VI.

## De Beneficii Renuntiatione per Procuratorem.

## SUMMARIUM.

80. Beneficio renuntiare quis potest per se vel per procuratorem,
81. Etiam laicum & Religiosum, superioris sui licentiam obtinentem!
82. Unum vel plures,
83. Idem procurator esse potest resignantis & resignatarii:
84. Non tamen ad idem beneficium resignandum & acceptandum nomine ejusdem.
85. Procurator ad resignandum constitui debet liberè,
86. Per mandatum speciale,
87. Redactum in instrumentum publicum,
88. Nullà sui parte substantiali vitiatum.
89. Resignatio in scriptis facienda est, aliter tamen extra,
90. Aliter in Curia Romana.

Dd 3

91. Gertz

91. *Contra mandati formam facta invalida est,*
92. *Saltem si mandantis conditio melior non fiat :*
93. *Et istius raribabitione superveniente non convalescit.*
94. *Mandatum revocari valet etiam post oblatam supplicationem;*
95. *Ut post revocationem praestitus in resignationem consensus non subsistat.*
96. *Mandantis morte idem expirat, si res integra :*
97. *Non etiam, si haec integra amplius non est.*
98. *Beneficium resignatum non ab ipsius resignationis,*
99. *Sed ab istius admisse die,*
100. *Et in admissiois loco vacat.*
101. *Stylus Curiae, resignationem admittentis, modernus.*

30. **B**eneficiorum renunciatio fieri à clericis non solum per seiplos, sed & per procuratores legitimè constitutos potest; cum generaliter possit quis per alium, quod facere potest per seipsum, *Reg. Potest 68. & Reg. Qui facit, 72. in 6.* nisi expressè prohibeatur: ullò autem Jure beneficiorum resignationes per alios fieri non prohibeantur; imò expressè permittantur *Clement. Unic. ibi, Si quis ad cedendum beneficium procuratorem spontè ac liberè constituerit, teneat cesso facta per eum, saltem si, qui illis cedunt, in Romana Curia non sint praesentes, ex Cancell. Regula de Consensu in resignat. 45. ibi, Litera non expediuntur, nisi resignans, si praesens in Curia fuerit, personaliter: alioquin per procuratorem suum specialiter constitutum expeditioni consenserit.*

18. Procurator autem ad resignandum non solum clericus, sed laicus quoque,

*Glossa in Clement. cit. V. Procurator* & *ibi Panormit. n. 2.* imò & Religiosus esse potest cum consensu superioris sui Regularis: qui tamen in religiois sibi subditi constitutionem consentire non debet, nisi id cedat in monasterii sui utilitatem, *can. Monachi 16. q. 1. & c. Ex parte 2. de Postulando, Rebuffus de Procurat. ad resign. constitut. n. 17. Flamin. Lib. 9. de Resignat. q. 4. & Azor p. 1. lib. 7. cap. 22. q. 2. & 3.*

Neque unus duntaxat, sed plures quoque procuratores constitui ad eundem beneficium resignationem possunt, ita: ut juxta tenorem mandati in illius resignationem, clerici illud obtinentis nomine, vel ab omnibus sive simul, sine successivè, hoc est, ab uno post alium consensum praestari sit necesse: vel, si plures in solidum constituti sint, consensum ab eorum altero praestari sufficiat, *can. Rebuffus n. 16. & Azor q. 4.*

Idem etiam procurator esse potest resignatarii & resignantis; ut, si *Titius* beneficium in favorem *Cajii*, etiam cum reservatione partis fructuum vel pensionis, resignet, *Titii* nomine consensum praestet in beneficium dimissionem, & *Cajii* nomine beneficium acceptet, & consentiat in reservationem partis fructuum vel pensionis: &, si *Titius* & *Cajus* beneficia resignent ex causa permutationis, utriusque nomine beneficia dimittat accipiat; quòd id nullo jure vetitum sit & non appareat sufficiens ratio, cur unus idemque representare nequeat personam utriusque; cum inter istas ulla lis non agitur, *cit. Rebuffus n. 17. Flamin. 23. n. 8. & Azor q. 5.* Quod licet sit, nemo tamen eodem mandato ad idem beneficium acceptandum simul & postquam acceptatum est, per resignationem dimittendum procurator constitui ab eodem potest; cum enim principalis mandans de-

dans beneficiū ante adeptionē resignandō nequeat dimittere, id suo nomine dimittendi potestātē alteri cōmittere non valebit; quōd eō tempore, non fuerit mandantis. Accedit; quōd beneficiū acceptari nequeat animō id sibi collatum dimittendi; atque idcirco ab eo, cui beneficiū confertur, exigī solet iuramentum, quō fidem faciat, se id dimittendi animō non acceptare, *citt. Rebuffus n. 16. Bellamerra de Permutat. benef. p. 8. q. 2. n. 17. & Azor cit. cap. 22. q. 7.*

85. Porro, ut ad resignandum facta procuratoris constitutio legitima sit, necessarium est, Primō, ut ea à principali mandante nulla vi metive sit extorta, *Clem. cit. ibi; Liberè ac sponte.* Secus, sicut ipsa resignatio vi metive extorta, sic & illius commissio sive procuratoris ad resignandum constitutio ipso iure invalida, arg. à contratio ductō ex *Clement. cit.* vel saltem irritanda sive rescindenda erit pro varietate Opiniorum, supra *num. 3.*

86. relatarum. Secundō, ut mandatum sit speciale cum expressione nominis & cognominis procuratoris, nominis item & loci beneficii, factaque illi potestatis beneficii vice & nomine principalis resignandi; cū enim resignatio species alienationis & donatio quaedam vel perditio sit, ad eam non sufficiet mandatum generale, etiam cum libera & amplissima potestate administrandi, *arg. l. Contra Iuris 28. §. fin. ff. de Pactu & l. Filius familias 7. pr. ff. de Donationibus. citt. Rebuffus n. 10. Flamin. q. 7. n. 9. § 27. & Azor q. 6. §. Sed quot.* Tertiō, ut mandatum hoc redactum sit in scripturam.

Qua in re tamen interest, coram quo ejus vigore resignatio sit facienda; quantumvis enim ad hanc faciendam coram Ordinario, sufficiant literæ privatæ; quōd istæ regulariter scribentis intentionem sufficienter probent, *l. 1. l. si Procuratorem*

*65. ff. de Procurat. & l. Publica 26. §. fin. ff. Depositi:* ad eam tamen faciendam in manibus Papæ, ad omnem fraudem quā potest procul removendam, ex inconcusso Curia stylo, exigitur mandatum sive instrumentum procuratorium redactum in scripturam publicam, munitam sigillo iudicis ordinarii vel communitatis, receptam à principali, & subscriptam à Notario publico, à quo illa est confecta, *citt. Rebuffus n. 6. & Azor q. 6. pr. Quartō, 88.*

ut idem instrumentum sit integrum, hoc est, nulla cancellatione, liturā, rasurā, saltem in parte substantiali vitiatum. Secus fidem non facit, ejusque vigore facta beneficii resignatio non subsistit: nisi ejus sine vitio producti cancellatio &c., post resignationem jam admissam accidisset, *citt. Rebuffus n. 33. & Flamin. q. 7. à n. 44.* Quintō, ut instrumenti eoque comprehensi mandati procuratorii productio ultra quadriennium non differatur. Secus, & in Gallia post anni lapsum mandatum finiri, neque amplius recipiendum, ait *citt. Rebuffus n. 18.* quōd ex longinquitate temporis voluntas mutata præsumatur. Extra Galliam tamen id negant *citt. Flamin. q. 13. & Azor q. 9.* qui tamen, licet mandatum quadriennii lapsu finiri inficientur, supplicatione signata consensum à procuratore intra sex menses ita præstandum, monent, ut intra istorum vel ultra montes intra novem mensium lapsum resignatio publicè denuntiari possit, juxta formam *Constitutionis Gregorii XIII.* quæ incipit *Humano Nonis Jan. publicata.*

Facienda etiam, sive ab ipso clerico 89. beneficiato sive ab ejus procuratore, resignatio est in scriptis, sive oblata supplicatione, extra Curiam Romanam Episcopo vel alteri, eam admittendi potestatem obrinenti: quō illam admittente resignatio perfecta est; ut beneficiū tanquam va-

quam vacans alteri conferri liberè: vel, si patronatum sit, in eo prævia præsentatione nominatione institui alius possit.

In Curia autem illa supplicatio porrigenda est Datarie Officialibus, in illius receptæ calce apponentibus contentorum summam: quam Datarus legere vel referre summo Pontifici, & ille signare solet per verba *Fiat ut petitur*. signatæ Datarus apponit datam. Dein registrata credit ad Cameram vel Cancellariam Apostolicam, ubi per ipsum resignantem, si præsens: si absens est, per ipsius procuratorem expressus consensus iterum præstat, qui per Notarios in libris Camere vel Cancellariæ extenditur, & à supplicationis tergo adnotatur. Unde patet, in resignationibus coram l'apa factis duos consensus intervenire. Unum expressum per ipsam supplicationis oblationem, qui dicitur *Parvus & formalis*. Alterum, qui supplicatione iam signatâ appositâque illi datâ, & registratâ iterum præstat in Camera vel Cancellaria, & *Extensus* nuncupatur, & necessarius omnino est, ut expediri valeant literæ Apostolicæ, sine quibus beneficii resignati nec capi possessio, nec fructus percipi à resignatario possunt, *Castadorus decis. 1. de Renunt. n. 4. cit. Flamin. lib. 8. q. 7. à pr. & Barbosa cit. cap. 15. n. 22.*

91. In consensu autem in resignationem præstando procurator observare debet formam mandati; ne, si illius fines excedat, resignatio invalida sit; cum enim non agat nomine proprio, sed alieno ipsius principalis mandantis: & ab isto resignandi potestas ipsi committatur per mandatum: huic ejus potestas commensuratur; ut, si istius fines non custodiat, & beneficium aliter, quàm mandatò est iustus, resignet, nihil agat, *c. Cum dilecta 22. de Rescript. 61. Diligenter 5. ff. Mandati*; cum agat id, quod agendi ali-

unde non habet & mandatò non accepti potestatem. Quare procurator, constitutus ad beneficium resignandum coram Papa, id facere nequit coram Ordinario, & vicissim: & constitutus ad illud resignandum in favorem Titii vel cum reservatione partis fructuum vel penitus aut regressus, id in favorem Caji vel simpliciter & absolute resignare nequit, nisi que ab eo facta resignatio non valet, *Flamin. q. 17. Azor q. 12. & Barbosa cap. 15. cit. n. 79. & 86.*

Excipienda tamen & Jure valida est resignatio cum fructuum vel penitus aut regressus reservatione, facta à procuratore, ad purè & liberè resignandum constituto; quòd, cum ita principalis mandantis conditionem faciat meliorem, ab ejus voluntate alienum quid facere non videatur, & ex præsumpta mandantis voluntate major utilitatis quam formæ ratio habenda videatur, *cit. Flamin. q. 17. à n. 141. & Azor q. 12. ad finem.*

Quin verisimilius etiam subsistit resignatio cum reservatione dimidiæ partis fructuum, facta à procuratore omnes fructus reservare iusto, si is diligentiam adhibuit, ut domino mandanti omnes fructus reserventur; quòd, licet mandantis conditionem meliorem non faciat, tantum tamen suo implèsse videatur voluntatem illius, ipsum ad omnium fructuum reservationem non coarctantis, sed si illi obtineri non posset, dimidiæ illorum partem acquiescentis, propter reservationis omnium fructuum obtinendæ difficultatem; quòd ita resignatio à Papa non tantè soleat admitti, *cit. Flamin. n. 140. & Pirthing ad hanc Rubr. n. 98. diffinitente tamen & cum Barbosa cit. cap. 15. n. 86. in fine, resignationem hanc, in priori etiam casu, ob non servatam mandati formam pro invalidâ habente Pab. Tract. 3. disp. 6. p. 2. §. 4. n. 7. & 8. Dubium*

93. Dubium hic est primò, an resignatio à procuratore, mandati formam non observante, facta superveniente mandantis ratihabitione convalescat & confirmetur. Ratio dubitandi est; quòd ratihabitione retrotrahatur & mandato comparetur, *Reg. 10. in 6.* Sed meliori ratione ejusmodi resignationem ratihabitione, non convalescere & confirmari, cum *Guid. Pap. decis. 187. & Flamin. n. 72.* docet *cit.* *Barbosa n. 88.* quòd resignatio, in eamque præstitus consensus contra formam mandati nullius sit momenti, *arg. c. Cum dilecta & l. Diligentur cit.* Ratihabitione autem, quando actus ab initio nullus est, non retrotrahatur; cum ea non sit actus, qui per se stet, *l. Aureolus 28. §. 1. ff. de Liberat. leg. Et.* ubi nihil reperit, sicut contingit, quando actus nullus est, nihil operetur aut confirmet, *Felinus in c. Nonnulli 28. §. Sunt & alii de Rescript. n. 4. ampliat. 3. & Peck. in Reg. Ratum 9. in 6. n. 5. in fine,* præsertim in beneficialibus & resignatione, simul exposcente consensum resignantis & legitimi superioris illam admittentis expressum & formalem, *Cancell. Reg. 45. cit.* qui in simplici ratihabitione desideratur. Unde corrui ratio dubitandi, & ad propositam resignationis ratihabitionem renuntiantis & Papæ illam admittentis nova approbatio necessaria erit.

94. Dubium secundò est, an mandans penitere, ab eoque procurator post supplicationem superiori oblatam valeat revocari. Ratio dubitandi est; quòd resignatio oblata superiori ante istius admissionem pro valida à DD. habeatur. Nihilominus sententia istorum communis est, mandatum, eoque constitutum procuratorem ante factam resignationem & consensum expressum, quem *Extensum* vocant, in Camera vel Cancellaria

præstitum revocari, non solum expressè, sed & tacitè, hoc est, aliò procuratore in locum prioris successò posse, ut liquet ex *c. Non injustè 14. de Procurat. & Clem. Unica cit.* Ratio est; quia generaliter mandatum re adhuc integra revocari valet, *§. Reclè 9. Instit. de Mandato, Glossa in Clement. cit. V. Quomodolibet.* res autem in resignatione ante consensum extensum adhuc integra, licet revera non sit, quoad mandati tamen revocationis permissionem censeatur ex voluntate summi Pontificis, qui illam, supplicationis oblatione factam, acceptare videtur sub tacita conditione, si partes in eadem voluntate usque ad consensum extensum præstitum persistant, *Puteus de Renuntiat. decis. 15. & cit. Flamin. Lib. 9. q. 25. n. 8.*

Neque obstat; quòd renuntiatione pro valida ante admissionem habeatur; quia pro tali solummodo habetur quoad effectum, ut superior eam valeat admittere, ejusque admissione resignationi accedente beneficii vacatio inducatur: licet ante admissionem penitentia sit locus, & sicut superior renuntiationem rejicere, sic & beneficiatus ab illa recedere valeat, & beneficii possessionem sine novo titulo continuare, *Navarrus in c. Accepta 3. de Restitut. spoliat. opposit. 7. n. 28. cit. Flamin. Lib. 1. q. 11. n. 6. & Barbosa cap. 15. n. 16.* Quare, sicut renuntiatione oblata superiori quoad effectum admissionis valida, sic invalida est quoad effectum penitentia resignanti, & refectionis superiori permittenda, antequam fuit acceptata; imò etiam quoad modum vacationis beneficii; cum istud, si resignantem ante acceptationem decedere contingat, per obitum, non per resignationem vacare intelligatur, & dicatur à *Pureo Lib. 2. decis. 92. n. 6. & cit. Flamin. q. 4. n. 42.* apud *Barb. cit. cap. 15. n. 21.* Unde

E e e Dubium

95. Dubium tertium oritur, an ergo post mandati revocationem à procuratore facta resignatio & extensi consensus præstatio invalida sit. Quod, licet ita esse indiscriminatum videatur, propter defectum potestatis, ablata per revocationem, postea tamen factæ resignationis nullitas aut valor pendet ex revocationis denuntiatione vel intimatione; cum, sicut post illam procuratori denuntiatam vel intimatam superiori admittenti facta propter defectum potestatis irrita, sic valida sit resignatio in eamque præstus à procuratore consensus, si revocatio à principali quidem facta & nota etiam procuratori: sed tamen neque huic neque superiori admittenti denuntiata sit vel intimata, *Clement. cit. junctâ Glossâ V. Teneat. cit. Flamin. q. 26. & Azor q. 12.* Dummodo tamen denuntiatio ante beneficii resignationem & præstitum in hanc consensum impedita non fuerit malitiâ ipsius procuratoris vel superioris; hoc enim si factum esset, resignatio in eamve consensus præstatio, post revocationem etiam non denuntiatam & intimatam facta, jure subsisteret, *Clement. cit. in fine;* ne fraus sua procuratori vel superiori proficit, contra Regulam *c. Sedes 15. § c. Ex tenore 16. de Rescript. Palao cit. §. 4. n. 11. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 100.*

96. Dubium quartum est, an principalis sive mandantis morte ad beneficii resignationem constitutus procurator revocetur. Si supplicatio superiori necdum oblata & negotium captum non sit, illum revocari liquet; quod generaliter mandantis morte mandatum expiret, si negotium captum non sit, *l. Mandatum 15. C. l. Inter causas 26. pr. ff. §. Item ff. 10. Instit. de Mandato.* Postquam etiam supplicatio jam oblata & in Romana Curia à Papa signata receptaque à Datarario est, mortuo principali mandatum

revocari, ut consensum extensum præstare procurator amplius non possit, desinitur ex *Clement. fin. de Procurat. verbis Procuratorem à Prælato rectore vel alio quolibet pro Ecclesia sua vel beneficio constitutum per mortem constituenti revocari censens etiam quoad negotia jam incepta &c.* ita enim si, supplicatio jam porrectâ procuratore postea constituto, principalis moriatur, consensum præstari à procuratore non posse, docent *cit. Flamin. lib. 9. q. 24. n. 28. & Azor q. 13. ad finem.*

Sed exemplum hoc propositum vel accommodatum non est; cum enim negotium quoad procuratorem inchoatum non sit, & ipse agere nihil ceperit, quia mandatum constitutentis morte expirat, necesse omnino est, per *ll. §. cit. et* quæ ratione id asserunt *DD. cit.*

Propius ad propositum casum, non tamen omnino accedit *cit. Constitutio Clementina;* cum illâ agatur de procuratore, à Prælato, Rectore, vel alio pro *Ecclesia vel beneficio*, hoc est, alieno istius, non proprio suo nomine constituto; & Ecclesiâ vel beneficio per Prælatum &c. obitum aut aliter vacante, super ipsius iuribus in & extra iudicium agi vel determinari nihil valeat, quò ipsi posset præjudicium *Rubr. c. 1. §. fin. Ne sede vacante, et* facilius excludenda Ecclesiarum detrimenda & præjudicia à Clemente *V. cit.* sicut salubriter, sic etiam specialiter contra communes Juris Regulas statuta est, ut Ecclesiæ vel beneficii nomine in eorum causis constitutus procurator prælatò vel rectore mortuò, etiam quoad res & negotia jam inchoata, iraque non amplius integra, revocaretur, *Clement. cit. V. Pro Ecclesia, ubi Pirrhing normit. n. 1. Barbosa n. 1. & Vivianus in fine.*

Quare hæc etiam Constitutio non obstat



obstante, sicut procuratorum aliorum, arg. l. Mandatum cit. Glossa in hanc l. V. Finitur & Menoch. Lib. 1. de Arbitr. q. 68. n. 45. sic etiam ad beneficium, non solum simpliciter, sed etiam sub conditione v.g. in favorem tertii, resignandum constituti mandatum, post supplicationem porrectam signatamque & registratam, mortuo mandante non revocari: sed per consensum præstationem adhuc perfici ab eo posse, & communis sententia est DD. id desumentium ex Constitutionibus Alexandri V. & Leonis X. relatis à Flamin. q. 24. cit. Ratio est partim; quia generaliter procurator negotia ante inchoata post mortem domini perficere potest, l. Nam & Servius 21. §. 2. ff. de Negot. gest. partim vero; quia, ante principalis mortem à Papa jam admittà & signatà resignatione, expressus procuratoris consensus in consequentiam venit, cit. Flamin. n. 14. & Azor q. 13. tit.

98. Dubium quintò, & magni momenti ac præjudicii controversia est, quò tempore beneficium per resignationem dimissum vacet. Quia in re imprimis Gomez in Regul. de Infirmis q. 19. ipsà beneficii per se aut procuratorem factà renuntiatione, etiam à superiore non admittà, beneficii vacationem induci, ait; quòd ipsò ejusmodi renuntiationis actu beneficium habeatur pro derelicto: ipsò autem actu, quò res pro derelicto habeatur, ejus dominium ac proprietates amittatur, l. i. l. Pro derelicto 2. ff. Pro derelicto. Deinde Azor p. 2. Instit. lib. 7. cap. 22. q. 10. secutus Flaminium Lib. 9. de Resignat. q. 15. à n. 1. licet casu, quò beneficii resignatio fit per procuratorem, vacatio ipsò istius consensu & superioris admittione inducatur, perinde tamen haberi asserit, acsi mandati procuratori dati die inducta fuisset; quòd ex intervallo secutus procuratoris consen-

sus ipsàque superioris admittio ad mandati dati diem Juris fictione retrahatur. Unde infert casu, quò Cajus à Titio Calendis Januarii procurator ad resignandum constitutus beneficium in Ordinarij manibus Calendis Martiis resignat, resignationem ab his ad Januarias Calendas retrahat; ut beneficii vacatione eò die inducta censeatur. Ita isti.

Sed contra torrentem DD. aliorum, 99. qui cum Innocentio in c. Quod in dubia 8. n. 1. Panormit. ibid. n. 8. Felino in c. In nostra 32. de Rescript. n. 31. Zabarella in Clement. 1. n. 17. Navarro in c. Accepta 3. de Restit. spoliat. Opposit. 7. n. 25. Selua p. 3. de Benefic. q. 11. n. 100. Lotter. de Re Benef. lib. 3. q. 14. n. 22. & 34. Menoch. de Arbitr. casu 201. n. 47. & Barbosa Jur. Eccles. lib. 3. cap. 15. n. 18. beneficii vacationem induci docent, non sola renuntiantis voluntate, istiusque per se vel procuratorem declaratione facta coram legitimo superiore, sed istius renuntiationem acceptantis admittione extra: in Curia verò consensus à renuntiante vel ejus procuratore, post supplicationem à Papa renuntiationem acceptante signatam, præstatione: imò hodie ipsà supplicationis à Papa factà signatione, quà renuntiationem hodie perfici n. 101. dicitur. Quæ DD. cit. sententia nititur Jure & ratione. Et ex illo quidem pro ea faciunt c. Admonet 4. verba, Ne Ecclesias tuæ diocesis audeant te dimittere inconsulto: quò postremò verbò non consilium duntaxat, sed consensum importari, cum Glossa V. Inconsulto notant Panormit. n. 2. Fagnanus n. 3. & Gonzalez n. 6. Ratio, præter deductam n. 54. est; quia beneficii collatione inter prælatum Ecclesiæ nomine, & clericum, cui beneficium est collatum, celebratus est quidam quasi contractus, per quem iste ad deserviendum Ecclesiæ, illa verò ad

E e e 2 fructus

fructus ex beneficio provenientes pro congrua sustentatione illi relinquendos adstringitur, Felin. in c. *Qua in Ecclesiis* 7. de *Constitut. n. 14.* In dissolvendo autem quocunque contractu, duorum consensu inito, necessarius est consensus utriusque, l. *Prout 80. ff. de Solution. & §. fin. Instit. Quibus mod. toll. oblig.* Cui rationi ac doctrina non parum roboris accedit primò; quod, si beneficiatus ante superioris, renuntiationem admittens, acceptationem ad beneficium actu dimissum itaque quoad possessionem amissum propria auctoritate regrediatur, ejus recuperet possessionem, ut in c. *Quod in dubiis cit.* notant Innocent. n. 1. Panormit. n. 8. Laiman n. 4. & cum Navarro *Opposit. cit. n. 12.* tradit Barbosa *cit. n. 16. in fine.* Secundò; quòd, si ante resignationis admissionem resignans decedat, beneficium non per resignationem sed per obitum vacet, juxta dicta n. 94. Tertio; quòd beneficiatus ante resignationis admissionem beneficii fructus sine restituendi obligatione faciat suos: & ex illo imminentibus obligationibus non liberetur, luculentò argumentò, ante superioris admissionem beneficii titulum non resolutum, Palao *Tract. 13. disp. 6. p. 2. §. 2. n. 1. & §. 4. n. 7.*

Ex his planè corrui argumentum à Gomez *cit. q. 19.* desumptum ex *ll. cit.* quia hòc ipsò; quòd ante superioris admissionem beneficii titulus resolutus non sit, id ex sola renuntiantis voluntate rebus derelictis accenseri vel comparari nequit.

Minus urget allegatio Flaminii & Azorii; quia retrotractionis illius ullum in jure fundamentum aut vestigium non extat; atque idcirco procuratoris consensum & superioris admissionem ad procuratoris constituti diem retrahere, merito negat *cit. Palao §. 4. n. 7.*

Dubium sextò & non minoris gravitudinis controversia est, de vacatione beneficii loco; sunt enim, qui id vacare asserant in loco, in quo id situm, vel saltem beneficiatus resignationem mandans existit, aliis id in mandati ab illo dati sive procuratoris constituti loco vacare existimantibus. Utrisque tamen verisimiliter vacationem in resignationis à procuratore factæ & à superiore admittæ loco indicatur, cum Archidiacono in c. *Licet 2. de Prob. & dignit. in 6.* defendunt Bellameta *cit. p. 8. q. 3. n. 10.* Gonzalez in *Reg. 8. Gloss. 13. pr. n. 42. & Gloss. 15. §. 2. n. 11. & Flamin. cit. lib. 9. q. 14.* quòd beneficium in eo loco vacet, in quo ponitur vacationis forma; ista autem non exilat, ubi tantum est beneficium istiusve possessionis resignationem mandans aut mandatum, sed ubi illud mandantis nomine procurator resignat & resignationem mandantis nomine superior admittit; cum forma vacationis sit beneficii actualis resignatio & admissio superioris, quibus mandato intervenientibus vacatio perficitur & consummatur. Quare beneficium à procuratore per resignationem dimissum per ipsam Papa istam acceptante, Apostolica provisioni reservatum est; quòd vacet in Curia, in qua per procuratorem resignationis facta & admittæ est, ut ait Joan. Andr. & Geminiano in c. *Licit 1. n. 7.* Rebuffo *l. cit. n. 28.* Simonetta de *Reservat. q. 28. an. 1.* & aliis docet Barbosa de *Offic. Episc. alleg. 57. n. 22.*

De resignatione in Curia Romana n. 90. deducta pleraque procedunt. Atò illius stylo antiquiore; à quo, ad fraudes magis removendas & tollendas quæ inde oriebantur, varias dubitationes, hodie recessum est: & portatâ supplicatione consensus in Camera vel Cancellaria extenditur, atque ab illius tempore adnotatur, antequam supplicatio à Curia

cliffimo signetur. Ut ad eò, postquam ea signata est, resignatio jam perfecta sit, & (distinctione inter consensus, *Parvum & Extensum* sublatà) mandatum neque revocetur morte mandantis, neque ab isto superflite amplius valeat revocari, ut ex *Lotterio de Re benefice. Lib. 3. q. 16. n. 59. notat cit. Barbosa cap. 15. n. 24. in fine.*

## ARTICULUS VII.

## De Resignationum Publicatione.

## SUMMARIUM.

102. *Publicanda sunt resignationes à Papa,*
103. *Edque inferioribus Prælati admittisse;*
104. *Ut ita fraudibus obvietur:*
105. *Qualiacunque demum beneficia sint,*
106. *Et à quocunque ex resignatione,*
107. *Aut istius omiffa publicatione obtineantur:*
108. *Et quomodocunque fuerint resignata.*
109. *Facienda publicatio est in Ecclesiis,*
110. *Adhibita certâ formâ,*
111. *Et intra terminum Jure præfixum.*
112. *Secus beneficia amittuntur ac reſervantur:*
113. *Niſi termini prorogatio,*
114. *Vel contra ejus lapſum reſtitutio impetretur.*
115. *Non ubique forma publicationis,*
116. *Et hæc etiam in beneficiis coram Ordinario factis obſervatur.*
117. *Non publicatorum reſervationi Concordata obſtare aſſerentium,*

118. *Et hoc negantium verior Opinio.*
119. *Ratio reſervationis,*
120. *Concordatis non præjudicantiis.*

**B**eneficiorum resignationes ex quacunque, etiam Permutationis, causa in Curia Romana & manibus Papæ factæ perfectæque citra montes, puta in Italia intra sex: ultra montes autem, v.g. in Germania nostra, intra novem menses, à die concessionis gratiæ, non præstiti consensûs, computandos, publicari sive promulgari in Ecclesiis debent.

Quodsi resignationes extra Curiam illam in Legati à Latere, Episcopi vel alterius collatoris manibus fiant, collatores, quidem eas intra mensem admittere vel rejicere: & si admittant, intra eundem mensem negotium absolvere debent; alioquin beneficia ad sedem Apostolicam devolventur; ut hujusmodi collatores de iis disponendi potestate eâ vice priventur. Resignatarii verò intra tres menses, à die sibi factæ collationis computandos, eas in Ecclesiis publicare & beneficiorum possessionem capere tenentur, ex *Constitutione Gregorii XIII.* quæ incipit *Humano* edita *Nonis Januarii 1583.* quæ, earundem resignationum publicationem spectanti *Cancell. Apostol. Reg. 34. & Constitutioni Pii V.* quæ incipit *Sanctissimus* à *Flaminio Lib. 11. de Resignat. præfat. n. 3.* relata in pluribus est derogatum; ut præ istius & aliorum SS. Pontificum Ordinationibus Gregoriana observetur, teste eodem *n. 4. & Cochier ad Reg. de Public. resignat. 34. n. 1.*

Hujusmodi autem Publicationis introductæ ratio gravissima fuit, utilitas & necessitas publica: quæ exigebat obviari malitiis & fraudibus hominum, commissis per occultas & simulatas resignationes:

E e e 3

tiones: post quas ita admittas resignantes aliquando in beneficia resignata se intrudebant, eorumque administrationem & fructuum perceptionem continuabant, Imprimis cum periculo animarum propriarum; quoddam beneficiorum per resignationis viam dimissorum; & jam non suorum perciperent fructus, obnoxios restitutioni: & aliquando fidelibus ministrare sacramenta, matrimonii assisteret, eosque in foro Pœnitentiæ à peccatis absolvere præsumerent, quantumvis Parochiale munus & jurisdictionem non amplius habent. Deinde cum deceptione & scandalo fidelium, qui clandestinarum resignationum ignari à resignantibus in beneficiorum possessione permanentibus, tanquam Prælati vel parochis suis, quales eos adhuc esse credebant, cum revera non essent, sacramenta ceteraque divina percipiebant, eisque decimas & alia jura parochialia exhibebant. Et demum cum delusione ac præjudicio Collatorum Ordinariorum; cum iis, qui beneficia occultè resignata adhuc retinebant, decedentibus, ipsi ejusmodi resignationum ignari ea tanquam per obitum vacantia conferrent aliis: & sic ab ipsis bona fide collata beneficia, resignatione detecta, collatoriis auferrentur; itaque tam Ordinariorum, quam ab his provisorum personæ turpiter deluderentur, ut præter alios plenâ manu dedit Flamin. *cit. lib. 11. q. 1. tota*: cujus *n. 31.* advertit resignationum publicationem etiam introductam ad excludendam in Ecclesiis ac beneficiis Ecclesiasticis; ne scilicet resignantes in istorum, clandestinâ resignatione jam dimissorum, possessione perseverantes ea in vita retinerent, & decedentes demum ea in resignatarios transferendò hæreditariæ successione speciem referrent.

Quare post Gregorianam Constitutionem publicandæ sunt resignationes, Primò quarumcunque dignitatum, beneficiorum & officiorum Ecclesiasticorum, tam regularium quam secularium, manualium non minus quam titularium, sive ea collativa, electiva aut patronata & juris patronatus cujuscunque sint, sive possessa pacificè sive in petitorio vel possessorio litigiosa sint: exceptis duntaxat Consistorialibus, non omnibus, quæ nuncupantur, sed iis duntaxat, quæ in Consistorio Cardinalium ipso Papa presente conferuntur, ut v.g. sunt Archidiaconi & Episcopatus, Rebuffus *in Praxi de Public. Gloss. 1. in fine Flamin. Lib. cit. q. 3. n. 25.* & Azor. *p. 2. Instit. lib. 7. cap. 24. q. 3.* Ista autem excipiendi ratio fuit partim; quia eò ipso, quòd Papa presente conferantur, suspicio fraudis cessat, & satis publicata conferuntur: partim verò; quia dispositio simpliciter beneficiorum, hujusmodi Consistorialia non comprehendit, Mandosius *ad Reg. de Annali q. 16.*

Secundò, beneficia, officia & dignitates prædictas publicare debent resignatarii quicumque, etiam exempti & 14 annis minores: etiam si sint Curia Romanæ officiales aut S. R. E. Cardinales. Quin, si resignatarius v.g. Titius beneficium, in suum favorem resignatum illi collatum, rursus in Caii, & sive in Semptonii favorem resignaret, id sibi collatum intra unum idemque semestrem, aut novem mensium spatium publicare etiam isti tenerentur, sive Titius id publicaret sive non, *cit. Flamin. q. 4. tota & Azor q. 6.* Neque hi duntaxat, sed etiam, qui beneficium ob non factam publicationem vacans impetravit, ad obitus publicationem intra sex vel novem mensium tempus, à data concessione gratiæ sibi factæ computandum, faciendam

dam tenetur perinde, ut si id obtinisset per resignationem, *Constitut. cit. ibi, Quicumque se impetrans &c.* Quodsi beneficium non publicatum obtinerent plures, præ cæteris id obtineret, qui primus publicationem impetrationis suæ fecisset, *citr. Flamin. q. 4. n. 25. & Cochier ad Reg. de Public. resignat. 34. n. 18.*

108. Tertio, resignationes publicandæ sunt non solum, si in favorem, vel cum fructuum, pensionis, ingressus, vel regressus reservatione: sed etiam, si ex causa permutationis vel simpliciter dimissa sint. Imò publicanda resignatio etiam est, quamvis invalida sit propter incapacitatem resignatarii, si iste impedimentum sive nullitatis causam tollere, eaque sublatâ beneficium retinere velit, *Garcias p. 11. de Benefic. cap. 3. n. 279. & Palao Traët. 13. disp. 6. p. 2. §. 6. n. 7.*

109. Quarto, publicandæ autem resignationes sunt in Ecclesiis, in quibus beneficia sunt sita, & in Cathedrali ita; ut si beneficiû sit Cathedrali, in Cathedrali duntaxat: si parochiale, vel intra parochiæ limites situm, in parochiali & Cathedrali: & si in pluribus Ecclesiis situm sit, in omnibus & in Cathedrali Ecclesia resignatio publicatio fiat: nisi beneficium esset dioecesis nullius; talis enim beneficii resignati publicatio, in sola ejus Ecclesia facta, sufficeret, *citr. Flamin. q. 6. n. 10.*

110. Azor q. 4. & Garcias n. 274. Publicatio insuper seu promulgatio resignationis non quibusvis, sed festivis diebus inter Missarum solennia & Officia divina, ad quæ convenit frequens populus per Notarium, ejus literas earumve transumptum manibus tenentem, è Cathedra alicujus loco publico, intelligibili voce faciendâ est, ut omnibus presentibus intelligere possit, *citr. Flamin. n. 13.*

Palao n. 12. & Barbosa Lib. 3. Jur. Eccles. cap. 15. n. 195.

Quinto, eadem resignationum publicatio, si intra prædictorum novem, sex, triumve mensium, à prima data concessionis gratiæ seu collationis beneficii resignati computandorum, spatium non fiat, resignationes ipsò jure nullæ evadunt; ut resignatarii non solum ex iis nullum jus acquirant: sed ad beneficia sibi resignata & non publicata quandoque obtinenda omnino inhabiles sint. Ipsa etiam beneficia reservantur dispositioni sedis Apostolicæ: à qua proinde ea tanquam vacantia cum expressione in summitate supplicationum, *Propter non factam publicationem* impetrari consuevit, *Flamin. cit. q. 8. n. 12. testatur.*

Sexto, hæc tamen resignationis ex non facta intra prædictos menses publicatione proveniens nullitas à resignatario evitatur, si dictorum mensium termini impetret prorogationem: quæ ante ejus lapsum, juxta formam, à *citr. Cochier n. 15. in fine & Barbosa n. 194.* relatam, supplicantibus à Papa ad quatuor menses concedi solet: quæ etiam concessâ supplicationi pro prorogatione altera ad tres, & pro tertia ad duos menses locum esse, iidem notant.

Septimo, quin publicatione etiam intra terminum, Gregoriana Constitutione præfixum, non factâ, impetrari à resignatario potest restitutio adversus lapsum termini sive mensium præscriptorum: quæ, ut concedi solet, ad duos vel tres menses obtentâ, ille reponitur in statum, in quo intra termini, Gregoriana Constitutione præfixi, duos vel tres menses ultimos fuit, ut *arg. l. fin. §. 4. C. de Sent. pass. restit.* advertit & Rotæ decif. firmat *Flamin. q. 7. n. 70. & Barbosa l. cit. n. 194. in fine.* Pro ejusmodi autem restitutionis gratia ex certis causis

causis seu impedimentis, non in specie, sed generatim duntaxat allegatis, supplicans eas verificare non tenetur; quod restitutionis gratia non in iis, sed eò potissimum fundetur; quòd resignans adhuc vivat, & jus quæsitum non sit tertio, qui beneficium ob non factam publicationem à Papa impetravit. Hæc tamen verificanda Flamin. *q. cit. n. 78.* & de posteriori etiam Cochier monet *ad cit. Reg. 34. n. 33.* quia in ejusmodi gratia, etiamsi, quod aliàs solet, non apponatur, semper subintelligitur clausula, *Dummodo alteri jus non sit quæsitum, cit. Cochier ad Reg. De non tollendo jus quæsit. n. 15.* & Mandosius *ad eandem Reg. q. 2.*

**115.** Constitutionem hæcenus declaratam communiter ab omnibus & ubique receptam, asserit & pluribus comprobat laudatus Flamin. *q. 9. à n. 6.* At nisi fallor, de Orbis usu ex praxi Urbis atque Italiz pronuntiat; quia imprimis in Germania eà præscriptam publicationis formam seu modum non ubique accuratè observari; & resignationes etiam, si extra Ecclesias ac festivitates aliis modis promulgentur, pro ritè publicatis haberi, asserunt Zypæus *Analys. Jur. Pontif. ad hanc Rubr. n. 2.* & Engel *ad Rubr. de Præbend. & dignit. n. 17.* Deinde beneficiorum permutationes ac resignationes simplices coram Ordinariis factas in partibus, in quibus ipsi versati sunt, publicari non consuevisse, perhibent Garcias *cit. cap. 3. n. 289.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 109. in fine.*

**117.** Dubium & nuperrimè agitata quæstio est, an beneficium v.g. Canonicatus; in manibus Papæ resignatus, & ob non factam publicationem amissus ac vacans, sedis Apostolicæ dispositioni reservatus sit in Germania nostra; ut, si resignationis publicandæ terminus in mense Or-

dinati, scilicet Februario, Aprili, Junio &c. expirarit, Canonicatus vacans ab Ordinario nequeat conferri. Et eum quidem tanquam non reservatum ab Ordinario conferri posse, existimat Lud. Engel *ad Rubr. cit. n. 18.* Quod etiã suadetur gravissimâ ratione, fundatâ in Germaniæ Concordatis, quorû *§. De cæteris beneficiis* eò, scilicet Concordatorum initorum tempore, sedis Apostolicæ dispositioni specialiter non reservata, alternis, puta Februario, Aprili &c. mensibus vacantia, Ordinarij collationi permittuntur. Cum ergo eò tempore beneficia nõ publicata sedis Apostolicæ dispositioni specialiter reservata non fuerint, hodie quoque publicationis terminò, Februario, Aprili &c. mensibus expirante, in Germaniâ ad Ordinarij collationem pertinebunt. Cui argumento non leve pondus addit primò; quòd *§. cit. Papa disertè asserat*; sedem Apostolicam, *Per quamcunque aliam reservationem vel dispositionem non impediantur quò minus de ejusmodi beneficiis, cum Februario, Aprili &c. mensibus vacabunt, liberè disponatur per eos, ad quos collatio provisio &c. pertinebat*: ac demum addat, eam Concordatorum Ordinationem *Duraturam deinceps*, nisi in futuro Concilio de dictâ nationis Germanicæ consensu aliter fuerit ordinatum. Secundo; quòd cum lege, & Constitutione etiam Apostolica generali, statutis, privilegijs & Ordinationibus specialibus non derogetur, nisi istarum mentio fiat, per *Reg. Generi 34. in 6. & c. 1. de Constit. in 6.* & tradita *Lib. 1. tit. 2. n. 128.* Concordatorum autem Gregorius XIII. in Constitutione sua ullam mentionem non fecerit, eis derogare hunc Papam voluisse credibile non sit, præsertim postquam idem Papa, se Concordata lædere nolle, asseruit, apud Braun *in Concordata q. 19. n. 7.*

Tertio; quod ejusmodi Concordata habeant vim & naturam pacti: pacta autem tollere vel lacerare velle Princeps, si non exprimat, nunquam præsumatur, ut in simili arguit Simonetta de Reservat. q. 99. n. 26.

118. Hac, tanti ponderis firmanentis roborata, ratione nihil motus Brandan in Concordata Germania q. 10. n. 9. eumque secuti Cochier ad Cancell. Reg. 8. Gloss. 7. n. 20. casu 30. & Nicolaus in eadem Concord. tit. 1. n. 22. cit. Constitutionis Gregorianæ verbis, Ipsa beneficia & jura sic per resignationem & non factam publicationem à principio vacantia à sede Apostolica duntaxat impetrari vultant & concedi, Germaniæ quoque Ordinariorum collationes impediri, docent: idque firmare videtur praxis seu Stylus Curia Romanæ; cum teste Flamin. cit. q. 8. n. 12. in ista à Papa passim signentur supplicationes pro impetrandis beneficiis ob non factam publicationem oblata: quod ipsum de beneficiis in Germania ita vacantibus perhibet cit. Brandan n. 9. Cum contrà, ut idem ait, non consistit de collatione ejusmodi beneficii à Germaniæ Ordinario facta, quantumvis resignationis terminus in ejus mense expirarit.

119. Ratio reservationis est; quia ex tunc, beneficia vacantia ob non factam publicationem resignationis facta in manibus Papæ vacant apud Sedem & in Curia, secundum decif. Rotæ in Una Viridunensi Canonizatus 19. Julij 1588. apud Flamin. cit. q. 8. n. 6. non quidem ex ratione ab isto reddita n. 7. quod ejus vacatio in poenam inducta sit Constitutione, in Curia publicata; quia, licet ea, per sententiam privationis in personam particularem latam in Curia, in ista vacent, in Curia tamen ad effectum reservationis vacare non censentur omnia be-

neficia, quorum vacatio orta est ex quacunque lege vel Constitutione generali in Curia promulgata, ut præter alios advertunt Engel cit. n. 18. & meus in Cathedrala Antecessor P. Joan. Baptista Weis in Concordat. assert. 23. Sed; quia propter publicationis omissionem vacantia vacare incipiunt ex resignatione, facta in Curia & manibus Papæ, eam admittentis: quâ, etiam mediante procuratore alibi constituto, factâ inductam pro vera vacatione in Curia habent, in c. Licet 2. de Præb. & dignit. in 6. Anchoran. n. 1. Geminian. n. 7. & cum iis Simonetta de Reservat. q. 28. à n. 1. Moneta de Optione Canon. cap. 3. n. 37. & Barbosa de Offic. Episc. alleg. 57. n. 22. ex altera verò parte, beneficia apud sedem & in Curia vacantia sedis Apostolicæ dispositioni ipsius Germaniæ Concordatis expressè reservantur, §. Præmissorum itaque verbis, Cateraque beneficia Ecclesiastica quacumque & qualiacumque fuerint, nunc apud sedem quoquo modo (ac proinde etiam per resignationem, præsertim in favorem; cum ista in solius Papæ manibus fieri queat) vacantia & in posterum vacatura &c. Ordinationi, dispositioni & provisioni nostræ reservamus. Cui rationi non modica vis inde accedit; quod in Curia & manibus Papæ resignata, etiam censeantur tacite & ipsò facto reservata, sive affecta per appositionem manus Papæ ad effectum conferendi, ut à nullo Ordinario valeant conferri, ut arg. c. Ut nostrum 16. de Appellat. cum Archidiacon. in c. Licet cit. advertunt Gomez in Reg. de Infirmis q. 33. n. 1. Flamin. q. cit. n. 8. & Card. de Luca Theatr. Verit. & Just. de Benefic. disc. 94. n. 5. beneficia autem tacite seu facto reservata & affecta, donec Apostolica provisio semel effectum consecuta sit, ab aliis nequeunt conferri, Æneas de Falcon. de Reservat. prælud. 3. c. cit. Si-

F f f

*citt. Simonetta q. 64. n. 2. Gonzalez ad Reg. 8. Gloss. 52. n. 4. & 16. & Cochier ad Reg. cit. Gloss. 19. n. 4.*

120.

Neque huic obest; quod appositio manus Papæ non impediatur Ordinarios, quando ex ea resultat præjudicium Concordatorum, ut ex Puteo *Lib. 3. decis. 226. n. 14. & 15. idem Gonzalez n. 55.* notat; quia eò ipsò; quòd in manibus Papæ resignata beneficia vacent in Curia: & in hac vacantia per ipsa Concordata

reservata sint, ex tali resignatione orta affectio in Concordatorum præjudicium non resultat: sicut resultaret, si Alternativæ obnoxio, & in Ordinarii mensis yg. per obitum vacanti beneficio ad effectum collationis à Papa manus apponeretur.

Quare cum fulcris suis sponte corruit ratio tota, quæ nititur Engel; cum, ut dictum, beneficiorum non publicorum reservatio fundata sit in ipsis Concordatis.



## TITVLVS X.

### De Supplenda Negligentia Prælatorum,

**P**rælati aliquando non ipsas Ecclesias ac dignitates, sed eis duntaxat annexum officium atque administrationem dimittunt, & committunt negligentiam: de qua, non generatim in omnibus, sed in actu Pontificalium exercitio, in beneficiorum collatione & administratione Justitiæ, non tam puniendâ, quàm supplenda præfens Rubrica cum subjectis textibus procedit.

#### ARTICVLVS I.

#### De supplenda Negligentia in usu Pontificalium.

##### SUMMARIUM.

1. Referuntur præcipua insignia,
2. Et actus Pontificales.

3. Quorum præcipui,
4. Non tamen omnes, Episcopo eorum suam diocesim prohibentur.
5. Et aliqui raro, & non nisi ex gratia speciali:
6. Alii plerumque inferioribus Prælatibus permittuntur.
7. Abbatibus communi Jure prius Tonsuræ, Officiariatus & Lecturatus collatio:
8. Cateri actus solò privilegio continentur:
9. Cujusmodi præcipue sunt saltem populi Benedictio,
10. Alicubi Parochis permissa:
11. Consecratio sacrorum vasorum:
12. Sacramentorum vestium & aliorum sacramentorum Benedictio:
13. Consecratio & Benedictio Altarium:
14. Benedictio monialium.
15. Vt Consuetudinis si non expressum Episcopi